

si omne argentum in specie testator legasset, hoc modo, illam LANCEM, illam PELVIM, &c. Quae sententia est verborum illorum, RES TAMEN, QVAE INTERIERINT, &c.

[2.] Sane si argenti pondus pure relictum esset, hoc est, sine illa adiectione, QVOD LEGATARIUS ELEGERIT, quamvis omne testatoris argentum intereat, legatum tamen debetur. In hoc enim legato quantitas magis, quam argentum continetur. *d. l. cum aurum 19. de auro. arg. &c.* ac proinde aestimationis praestatione ipso iure haeres liberatur. *l. 1. §. ult. de auro & argen. lega.* Idem dicendum est, si ea legentur, quae numero, pondere & mensu-

ra constant. Nullis enim damnis post mortem testatoris contingentibus eiusmodi legata diminuuntur, nisi cum loci adiectione certa rediguntur, hoc modo, LEGO PECUNIAM, QVAE IN ILLA ARCA EST. LEGO VINVM, QVOD IN ILLIS DOLIIS EST. LEGO ARGENTI PONDVS, QVOD IN ILLIS HORREIS EST. Ita enim ad certam speciem redacta, si intereant nulla haeredis culpa, damnum ad legatarios pertinet.

[3.] Ait Iureconsult. *In illis horreis.*) Veteres in horreis pretiosissimam partem bonorum reponabant. *l. 1. de offic. praef. vigil. l. cum in plures 60. §. locator horrei 6. locati.*

§. 2. Ait MAETIANVS: *Vendere autem vel emere iussus certo pretio fundum, aliamve quampiam rem, in legis Falcidiae ratione, cum quantum sit legatum requiratur, tantum eo nomine inducet, quanto pluris, minorisve sit res ea, quam quo pretio testator accipi darive iussit. Sed ei quidem portioni, quae legatis deductis facienda erit, amplius deducetur: quippe non nostri causa capi id pretium, sed eo deducto reliquum legatum esse intellectum est.*

## S V M M A R I V M.

1. Locus hic corruptus est.

2. Emendatur?

[1.] **G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad legem, si dignum 19. supra. eod. Sane verba haec, SED EI QVIDEM PORTIONI, QVAE LEGATIS DEDUCTIS FACIENDA ERIT, AMPLIUS DEDUCETVR, quam habeant sententiam, non equidem intelligo. In Pandectis Florentinorum legitur, SED VT EI QVIDEM PORTIONI, &c. Illud pro certo asseverare audeo, corruptum locum esse.

[2.] Ait Iureconsult. *Quippe non nostri causa*

*id pretium capi.*) *Mortis causa* legendum videtur. Rationem autem reddit Iureconsultus, quamobrem id, quod pretii loco haeredi datur, deduci oporteat, cum quaeritur, quantum in legato sit. Et ait deduci, quia mortis causa non capitur: eo deducto, quod reliquum erit, in legato esse. Quod si acceptis quinque fundum haeres dare iussus esset, totus fundus legatus intelligeretur, neque quinque deducerentur. *l. ad veterani 40. infra eod.*

§. 3. Ait MAETIANVS: *Tametsi ante legis Falcidiae rationem, quae conditionis implendae causa haeredi sunt data, in quartam non computantur: tamen id, quod non figura conditionis accipere iussus est ab eo, cui haereditatem restituere rogatus est, CELSO, & IVLIANO nostro placuit computari: quemadmodum si ea summa haeres vendere eas res iussus esset: quia non conditionis implendae causa: sed quodammodo pro pretio inferre iussi sunt. Quo loco amplius quaesitum est, an fideicommissarius quoque invitus cogatur dare eam summam, & recipere haereditatem, quasi & ipsius fideicommissum esset. Sed id verisimile non est: cum talis oratio magis ipsius causa, quam contra ipsum posita videatur.*

## S V M M A R I V M.

1. Cum hereditas restituitur inputantur in quartam Falcidiae, quae conditionis implendae causa dantur heredi.

2. Cur autem ea non inputentur, si hereditas

non restituitur?

3. Cur non duplex in proposito casu fideicommissum intelligatur?



[1.] **G**OVEANVS. Quae conditionis implendae causa haeredi dantur, in quartam legis Falcidiae non imputari, scripsimus ad l. 1. §. item 8. supra eod. Cum autem haereditas restituitur, imputari constat, quae ita dantur, si modo conditionis figura expressa non sit, hoc modo, ACCEPTIS A MAEVIO CENTVM, HAEREDITATEM MAEVIO RESTITVITO. l. acceptis 93. infra eo. licet verba haec tacitam contineant conditionem. Centum igitur, quae a Maevio capiuntur, in quartam imputantur, cum quodammodo pro pretio haereditatis inferantur perinde, ac si haeres Maevio rogatus esset, haereditatem aureis centum vendere. Quae pecunia certe haeredi in quartam imputaretur. Sane si dantis persona demonstrata non sit, non tam accipi pecunia intelligitur, quam retineri. d. l. acceptis. Atque ideo in dubium non venit, quin ea pecunia in Trebellianicam imputetur. l. in quartam 91. in illis verbis, SED ET SI ACCEPTA PECVNIA.

[2.] Quaero, quamobrem in quartam legis Falcidiae, quae conditionis implendae causa capiuntur, sive expressa conditionis figura, sive minime non imputentur: cum autem restituitur haereditas distinctionem hanc admittamus? Et puto, rationem illam esse, quia favorabilior haeres sit, quam legatarius, & fideicommissarius, quam haeres. Quo fit, ut multa in restituenda fideicommissaria haereditate imputentur, quae extra quartam Falcidiae sunt. d. l. in quartam.

[3.] Quaero, quamobrem duplex in proposito fideicommissum non intelligatur, ut in l. fideicommissa 11. §. cum esset 3. de leg. III. constat namque, a fideicommissario relinqui fideicommissum posse. Sed verisimile non esse respondet Iureconsultus, ut fideicommissarius pecuniam dare cogatur, cum talis oratio magis ipsius causa, quam contra ipsum posita videatur. Sane si accepta pecunia cohaeres rogetur portionem haereditatis cohaeredi restituere duplex propterea fideicommissum intelligitur: dici non potest, in utram magis partem inclinaverit voluntas testatoris.

§. 4. Ait MAETIANVS: Cum lex Falcidia intervenit, non veniunt in contributionem, quae ipsi haeredi a semetipso vel servo eius legata fideicommissa sunt. Alia causa est eorum, quae in diem certam dantur. Nam si libertatis dies coeperit cedere, ei debebuntur, & in contributionem venient. At ne ea quidem, quae quis servis suis inutiliter sine libertate legavit, fideicommissit, in computationem eius legis cedunt.

### S V M M A R I V M.

1. In contributionem non veniunt, quae heredi a semet ipso vel eius servo legata sunt.

2. Si vero homini libero in diem legatur, statim contribuitur.

[1.] **G**OVEANVS. Quae haeredi a semetipso, vel eius servo legata sunt, in contributionem non veniunt: quae autem servo haereditis legantur vel in diem, vel sub conditione, veniunt, cedente scilicet die libertatis. Ante non contribuentur. Neque enim ante deberi possunt.

[2.] Homini libero si quid leges in diem, statim contribuitur, quia certum est debitum iri. l. 1. de condit. & demonstr. l. nisi dolo 3. §. quoties 3. titu. sequ. Ea item, quae quis servis suis sine libertate legat, in computationem non veniunt: ut neque ea, quae haereditis servo pure testator legat: inutiliter enim legat. §. an servo 32. de leg. lib. II. Institut.

§. 5. Ait MAETIANVS: Res, quas neque per fideicommissum relinqui posse certum est, in legis Falcidiae computationem non veniunt.

### S V M M A R I V M.

Quae legari & fidei committi nequeunt, in computationem non veniunt.



**G**OVEANVS. Res sacrae, publicae, usibus Imperatorum destinatae, Caesaris fundi patrimoniales, & quae aedibus iniuncta sunt, neque legari possunt, neque per fideicommissum relinqui. Res autem quaedam per fideicommissum relinqui possunt, quae legari non possunt. *l. sed si res*

*aliena 40. de lega. 1.* Quae neque legari, neque per fideicommissum relinqui possunt, in computationem *legis Falcidiae* non veniunt, neque minuunt caetera legata. Cum enim neque per formulam, neque extraordinem aut ipsae res, aut aestimatio peti possit, prope est, ut ne legatae quidem videantur.

## XXXI. POMPONIVS Lib. II. Fideicommissorum.

*Is, cui fideicommissum solvitur, sicut is, cui legatum est, satisfacere debet, quod amplius ceperit, quam per legem Falcidiam ei licuerit, reddi: veluti cum propter conditionem aliorum fideicommissorum, vel legatorum, legis Falcidiae causa pendebit. Sed & secundum CASSII & veterum opinionem, si a pupillo fideicommissa capiantur propter ea, quae a substituto erunt relicta: cavere debebit is, cui solvatur. Nam quamvis repetitio sit eorum, quae fideicommissi nomine non debita solverentur, tamen satisfacto cautum debet esse ei, a quo pecunia proficisceretur, ne damnum sentiat deficiente eo, cui solutum sit.*

## S V M M A R I V M.

*Cautio quanto amplius &c. in fideicommissis quoque habet locum.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. 1. §. interdum 12.* Quemadmodum legatarius, ita & fideicommissarius cavet quanto amplius &c. quamvis de fideicommissis *lex Falcidia* non loquatur: Neque solum fideicommissarius, verum & mortis causa donatarius. *l. 1. §. in mortis causa donationib. 10. tit. seq.* Praesentia igitur legata, vel fideicommissa, solida solvuntur, exacta cautione Praetoria. *l. 1. §. si legata 7. titu. seq.* neque, obstat videtur *lex, si pro-*

*pterea 53. infra eo. de qua suo tempore dicemus. Sane propter ea, quae in diem legata sunt, legis Falcidiae ratio non pendet. Itaque praesentis die data non tota vindicantur. l. nisi dolo 3. §. quoties 3. titu. seq.*

Ait Iureconsult. Propter ea, quae a substituto relicta erunt.) Secundarum tabularum legata, in primis tabulis relicta intelliguntur sub illa conditione, si pupillus haeres extiterit, & intra pubertatem decesserit. *l. in ratione 11. §. quod vulgo 5. supra eod.*

## XXXII. MAETIANVS Lib. IX. Fideicommissorum.

*Poenales actiones, sive legitimae, sive honorariae, exceptis popularibus, in bonis actoris non ideo minus computandae sunt, quia morte reorum intercidere possunt. E contrario autem eadem actiones nihil in bonis rei defuncto eo detrahunt. Sed nec in actoris quidem bonis, defuncto eo, iniuriarum actio poterit computari: quia & ipsa simul cum eo intercidit, ut ususfructus, & id, quod in dies, menses, annosve singulos alicui quoad vivat debeatur. Eo enim ea demum obligatio rei bonis diminutionem praestat, quae in haeredem transit. Nec contrarium est, quod vivente reo, eo minus in bonis eius intelligebatur. Nam & si ita stipulatus esset, ut cum moreretur, deberi ei inciperet, tamen auferentur bona eius: quemadmodum, si ipse sub eadem conditione promississet, defuncto eo minuerentur. Honorariae quoque actiones, quae intra certum tempus a Praetore permittuntur, cum bonis actoris, defuncto eo, augmentum rei, decessionemve, si tales erunt, ut in haeredem quoque transeant, praestabunt.*



## S V M M A R I V M.

1. Poenales actiones in bonis actoris sunt computandae.
2. Nisi actiones sint populares.

[1.] **G**OVEANVS. Qui furti actionem habet, tantum haeredi relinquit, quantum per eam actionem consequi haeres potest. Neque refert, quod morte rei intercideret actio ista possit. *Tit. de perpet. & temporalib. action. lib. iv. Instit.* Sibi enim imputet haeres, quod eam in iudicium statim non deduxerit. Nam litis contestatione fit perpetua. *d. Tit. de perpet. & temporalib. action.* Eo autem placuit, poenales actiones in haereditatem non dari, quia delictorum non est successio. Aliud dicendum est de *actione iniuriarum*. Ea enim actio nisi contestata haereditatem non auget, quia haeredi non datur. *d. tit. de perpet. & temporalib. actio. §. 1. & 3. l. item apud Labeonem 15. §. si quis astrologus 13. de iniur.* Quamobrem autem haeredi non datur, illa causa est, quia meram ultionem continet, & nullam rei persequutionem.

[2.] Sane actiones populares, etsi poenales sunt, cuiusmodi illa est, quae datur adversus eum, qui Praetoris album corrumpit. *l. si quis id, quod 7. de iurisd.* tamen qui eas habet, non intelligitur esse locupletior. *l. populares 4. de popular. action.*

[3.] Sunt autem populares actiones, quae po-

3. Actiones populares quae & unde dicuntur?
4. Ultima huius legis pars quomodo legenda?

pulo ius suum & utilitatem tuentur. *l. 1. de popular. action.* Vnde etiam sunt appellatae. Ad quas etsi quis de populo admittatur, praefertur tamen is, cuius interest. *l. 3. de popular. actio.* omnes autem de populo ideo admittuntur, quia Reipublicae interest, quam plurimos habere defensores. *l. nam Reipublicae 4. de oper. novi. nuntia.* Quae inter publica iudicia & actiones populares differentia sit, scripsimus *lib. ii. de iurisdic.* Quemadmodum autem actiones poenales actoris patrimonium augent, ita e contrario rei patrimonium non imminuunt, nisi contestatae sint; uti enim iam diximus, in haereditatem non dantur, nisi forte quatenus ad eum pervenit, *l. in haereditatem 5. de calum.*

[4.] Ait Iureconsult. *Honorariae quoque actiones.* Locus hic legendus sic videtur, HONORARIAE QVOQUE ACTIONES, QVAE INTRA CERTVM TEMPVS A PRAETORE PROMITTUNTUR, IN BONIS ACTORIS, DEFUNCTO EO, AVGVMENTVM, REI VERO DECESSIONEM, SI TALES ERVNT, VTI IN HAEREDEM QVOQUE TRANSEANT, PRAESTABVNT. Neque movet, quod tempore finiiri possunt: cur enim haeres tempus exire finit? Et e contrario rei patrimonium imminuit huiusmodi actio temporaria, si eiusmodi sit, ut in haereditatem detur: quaedam enim non dantur.

§. I. Ait MAETIANVS: IULIANVS scribit, si utriusque haeredis pars exhausta sit legatis, & alter ex haeredibus cautionem Praetoriam acceperit a legatariis: non aequaliter, sed pro suo modo legis Falcidiae rationem, & actionem ex stipulatu habiturum. Omnes enim Praetorias stipulationes eiusdem interpretationis esse. Nam constare, ex iudicatum solvi stipulatione, sive a parte actoris, sive a parte rei plures haeredes extitissent: non omnibus, nec adversus omnes, actiones contingere, sed duntaxat iis, qui vicissent, & adversus victos: iisque adversus quos res defensa non esset, adversus eos, qui rem non defendissent.

## S V M M A R I V M.

1. Heredibus pro sua cuique parte potest committi stipulatio quanto amplius.
2. Omnes Praetoriae stipulationes divisionem re-

cipiunt.

3. Probatum lectio Codicis L. RABOTII.
4. Praetoriae stipulationes varie accipiuntur.

[1.] **G**OVEANVS. Si utriusque haeredis portio exhausta sit, & alteri ex haeredibus cautum sit cum fideiussore a legatariis, reddituros quanto amplius, &c. stipulatio non aequaliter utrique committitur, sed cuique pro

suo modo. Idem dicendum si pupillus stipulatus sit. Nam substitutis non aequaliter stipulatio committitur, sed in eam quantitatem, quam unusquisque retinere potuisset. *l. in ratione 11. §. si filio 6. supra eod.* Eo autem cuique pro suo modo stipulatio committitur, & pro ea quantitate,



tate, quam retinere potuisset: quia stipulatio haec divisionem recipit propter verba illa stipulationis, *quanti ea res erit, tantam pecuniam det.* l. 1. l. *etiam si* 2. tit. *seq.* Quae verba faciunt, ut pro sua cuique parte committi possit stipulatio. l. *praetoriae stipulationes* 2. de *praetor. stipul.* Nam prima fronte, qui mihi promittit *restituere quanto amplius receperit*, non videtur stipulationi satisfacere, nisi totum restituat, quod amplius cepit, quam per *legem Falcidiam* licuerit.

[2.] Ait Iureconsult. *Omnes enim Praetorias stipulationes eiusdem interpretationis esse.* Omnes enim recipiunt divisionem, in quibus incerta quantitas continetur, & scinduntur in personas haeredum tam stipulatoris, quam promissoris. d. l. *praetoriae stipulationes.* Exempli causa, Qui stipulatus erat *iudicatum solvi*, decessit pluribus haeredibus relictis: unus egit, & vicit, is pro parte sua cum fideiussore ex ea stipulatione agere potest, si vel iudicatum non fiat, vel res non defendatur. Tres enim clausulas continet stipulatio *iudicatum solvi*, de iudicato faciundo, de re defendenda, & dolum malum abfuturum. l. *iudicatum solvi* 6. *iudic. solvi.* Et e contrario, si reus pluribus haeredibus relictis decedat, & stipulator cum uno egerit, & vicerit, pro eius duntaxat parte, qui victus est, stipulatio committitur, si ab eo iudicatum non fiat, vel si is rem non defendat.

[3.] Recte itaque habet vetus codex, quem mihi LAURENTIUS RABOT, Gratianopolitani Senatus Princeps, vir humanissimus commodavit. ET ADVERSUS EOS, QUI REM NON DEFENDISSENT: Praetoriae igitur stipulationes, quae incertam quantitatem continent, in personas haeredum tam stipulatoris, quam promissoris dividuntur, excepta stipulatione *nuntiationis novi operis*, quae pro parte non committitur, cum opus pro parte restitui non possit. Neque enim verum est, opus restitutum, nisi in eum statum reponatur, in quo erat tempore nuntiationis. d. l. *Praetoriae.* Similes aliae quoque reperiuntur stipulationes, de quibus Iureconsultus in l. *eadem* 4. §. *ult. de verb. obli.*

[4.] Quae Praetoriae stipulationes, & quam varie dicantur, scripsimus lib. 1. *lection. var.* Et vero aliter Praetoriae stipulationes accipiuntur in tit. *de praetor. stip.* aliter in l. *stipulationum* 5. *de verbor. oblig.* Et in tit. *de divis. stip. lib. III. Instit.* Illud mirum videri possit, quod Iureconsultus *initio* §. ait. *interpositam ab uno ex haeredibus stipulationem aliis committi, cum stipulari alteri nemo possit.* Et dicendum videtur ab eo, qui prior haereditatem adit, interpositam stipulationem utrique committi: nam & ab eo recte solida legata solvuntur, quae modo communiter relicta sunt.

§. 2. Ait MAETIANVS: *Annua, bima, trima die aureis centenis legatis ex omnibus summis, non tantum ex posterioribus, portionem legis Falcidiae detrabi placuit.*

GOVEANVS. De sententia §. *huius* diximus ad l. *quod bonis* 15. §. *non idcirco* 2. *supra eod.* diximus & ad l. *si ex pluribus.* 16.

§. 3. Ait MAETIANVS: *Si Titio viginti legatis, portio per legem Falcidiam detracta esset, cum ipse quoque quindecim Seio rogatus esset restituere: VINDIVS noster tantum Seio pro portione ex XV. detrahendum ait, quantum Titio ex XX. detractum esset. Quae sententia & aequitatem & rationem magis habet: quia exemplo haeredis legatarius ad fideicommissa praestanda obligabitur, nec quia ex sua persona legatarius inducere legem Falcidiam non potuit: idcirco quod passus esset, non imputabitur: nisi forte testator ita fidei eius commisisset, ut totum quicquid ex testamento cepisset, restitueret. Si autem manumittere servum vel suum, vel alienum rogatus sit, omnino praestare debet libertatem. Nec hoc contrarium est superioribus: quia favor libertatis saepe & alias benigniores sententias exprimit.*

## S V M M A R I V M.

1. *Quae sit huius legis species?*

2. *Quis aequitatis color pro huius legis sententia?*



[1.]



OVEANVS. Sententiam §. huius attigimus ad *l. maritum* 25. §. *a liberto* 1. *supra eod.* Species huiusmodi est, Titio legata sunt viginti, & ab eo xv. per fideicommissum Sempronio relicta: si Titio *lex Falcidia* quartam legati partem adiuvat, hoc est, quinque, quartam quoque portionem fideicommissi Titius retinebit, & Sempronio duntaxat undecim & quadrantem unius restituet. Quae sententia & aequitatem & rationem habet. Nam testatoris voluntas illa esse videtur, ut fideicommissarius legati dodrantem habeat. Interveniente autem *lege Falcidia*, quindecim duntaxat in legato sunt, quorum dodrante contentus esse debet fideicommissarius. Partem enim, quae per *legem Falcidiam* retinetur, in legato non esse, multis iam locis demonstravimus. Quamvis autem legatario beneficium *legis Falcidiae* non tribuatur, tamen propter voluntatem testatoris hoc ei concedemus, ut quod ipse passus est ab haerede, imputet fideicommissario. *l. Plautius* 43. §. *ulti. de condition. & demonstrat.*

[2.] Quae aequitas illum iuris colorem habet, quod legatarius exemplo haeredis, fideicommissario obligetur, qui, cum iuris successor non sit, non videtur ipso iure obligari posse. Quo fit, ut a legatario legatum non relinquatur: fideicommissum autem, quod iuris non habet necessitatem, relinquatur. Cum igitur exemplo haeredis fideicommissa praestet legata-

rius, hanc ei quandam veluti *Falcidiam* isto casu non denegabimus. Quid ergo si Titio viginti legata sint, & ab eo quinque per fideicommissum Sempronio relicta? Et eo casu cessare §. decisionem, nemo non videt. Nam de quindecim ita quinque praestantur, ut in lucro adhuc legatarius versetur. In casu autem superiore, si de fideicommissum nihil legatarius detrahat, nihil praeter nomen inane legatarii Titio testator reliquerit, quod manifesto fuerit contra voluntatem testatoris, qui legati quadrantem apud Titium voluit remanere. Aliud dicendum est, si totum legatum Titius rogetur restituere. Nihil enim contra testatoris voluntatem fieri videtur, si tota quindecim Titius restituat. Tota enim viginti restituere tenetur, si *lex Falcidia* non interveniat. Quid ergo, si Titio legata viginti sint, & is rogetur servum suum, vel alienum manumittere? Et favor libertatis facit, ut servo suo libertatem praestet, quamvis ipse in legato *Falcidiam* patiat. In servo autem alieno redimendo, non plus impendet, quam ad eum pervenit. Totum sane impendit, quod pervenit, si minoris servus redimi non possit. Idem dicendum, si alimenta per fideicommissum a legatario relinquuntur. Quamvis enim legatarius *Falcidiam* patiat, solida nihilominus praestabuntur alimenta. *l. cum pater* 77. §. *si pars* 27. *de leg. ii.* puto alimentorum favore, quae multas similes elicit sententias. *l. quamvis* 3. *tit. seq. l. is, cui* 11. *de ali. leg. l. si in metallum* 3. *de iis, quae pro non script.*

## XXXIII. PAVLVS Libro III. Fideicommissorum.

*Si servus tibi legatus sit, eumque rogatus sis manumittere, nec praeterea capias, unde quartam, quae per legem Falcidiam retinetur, recipere possis: Senatus censuit, cessare Falcidiam.*

## S V M M A R I V M.

1. Cur, si servo legato libertas per fideicommissum relicta sit, Senatus *Falcidiam* cessare

voluit?

2. Pro recipere legendum *h. l.* est reficere.

[1.]



OVEANVS. Servo legato relicta per fideicommissum libertas, servi legatum non perimit, directo data perimit, si quidem pure, vel in diem utiliter data sit. *l. si post mortem* 68. §. *ulti. de leg. i. l. peculium.* 65. *de leg. ii. l. qui testamento.* 37. *eod. tit.* Nam conditio expectanda omnino est; de quo scripsimus ad *l. idem.* 19. *de vulg. & pupil.* Cum igitur legatum servi consistat, ad *legem Falcidiam* ipso iure

pertineret, nisi Senatus cessare *Falcidiam* voluisset. Credo, ne aut libertas impediretur, aut legatario damnosum esset suum ministerium.

[2.] Idem tamen Senatus censuit, si quid praeterea caperet legatarius, unde quartam *legis Falcidiae* reficere posset. Sic enim legendum est, non, RECIPERE, in eo & servi & rei praeterea legatae haeredi *Falcidiam* servandam. *l. sed si non servus.* 36. §. *si solus.* 3. *infra eod.*



## XXXIV. MARCELLVS.

IULIANVS notat, In testatoris seruo non erit Falcidiae locus. Si vero pecuniam aliudve quid legaverit, fideique legatarii commiserit, ut alienum seruum, vel legatarii manumitteret, locus erit.

## S V M M A R I V M.

1. In nonnullis Codd. principium huius legis aliter legitur.

2. Sctum ad seruum duntaxat pertinet testatoris.

[1.] **G**OVEANVS. In nonnullis codicibus principium legis huius ita legitur: MARCELLVS apud IULIANVM libro trigesimo quinto notat, in testatoris, &c.

[2.] Notat igitur MARCELLVS Senatusconsultum ad seruum duntaxat testatoris pertinere. Nam alieno seruo legato, quia aestimatio magis, quam seruus, legata videatur, cuius praestatione haeres defungatur, l. si alienus 61. infra eod. Falcidiae locum esse. Quare & si pecunia, aliudve quid legaverit testator, & fidei legatarii

commiserit, ut vel proprium seruum, vel alienum manumittat, in legato Falcidiam patietur legatarius, nec ideo tamen proprii serui libertas impeditur. Quamvis in alieno redimendo non plus impendat, quam acceperit. d. l. sed si non seruus. De quo diximus ad l. poenales 32. §. ult. Illud praetereundum non est, quod VLPPIANVS in tit. de statuliberis scribit, libertatem seruo alieno per fideicommissum datam perimi, si dominus eum iusto pretio non vendat: quoniam nec pretii computationem pro libertate fieri posse.

## XXXV. VLPPIANVS.

Plane si quid sit praeterea legatum ipsi seruo, Falcidiae locum fore Senatus declaravit. Vnde SCAEVOLA ait, in eo, quod praeterea seruo legatum est, ita Falcidiam admittendam, ut inde, quod pro seruo praestandum est, sumatur.

## S V M M A R I V M.

Quomodo heredi salva Falcidia esse possit, nec libertas impediatur?

**G**OVEANVS. Si seruo legato, cui per fideicommissum libertatem reliquisti, aliquid praeterea leges, in eo legato Falcidia ponetur ex S. C. Et quidem ita, ut inde sumatur, & quod nomine Falcidiae pro seruo

praestandum est. Ita enim habent codices emendati, UT INDE ET QVOD PRO SERVO. Itaque fit, ut & haeredi salva Falcidia sit, & libertas non impediatur.

## XXXVI. PAVLVVS Libro III. Fideicommissorum.

Sed si non seruus ipse legatus sit, sed pecunia, rogatusque sit legatarius seruum suum manumittere, Falcidiam patietur & nihilominus cogetur manumittere, quia tanti aestimasse videbitur seruum suum. §. 1. Quod si alienus seruus fuerit, in eo non plus, quam acceperit, ad redimendum cogetur impendere.

**G**OVEANVS. De primis duabus sententiis, diximus ad l. poenales 32. & ad l. si seruus 33.



§. 2. Ait Iureconsult. *Sin vero haeres servum rogatus sit manumittere, placet pretium eius, ut aes alienum, deducendum esse.*

## S V M M A R I V M.

*Si heredis servo per fideicommissum libertas data est, eius pretium, ut aes alienum deducitur.*

**G**OVEANVS. Haeredis servo libertatem directo dare non possum, per fideicommissum sane possum, & eius pretium, ut aes alienum de haereditate deducitur, non secus atque pretia servorum testatoris testamento manumissorum. *l. aeris alieni 39. infra eo.* Cui sententiae conse-

quens est, ut si haeredis rem testator leget, in ratione *legis Falcidiae* ponenda, eius pretium deducat haeres: utique enim separanda sunt haeredis & testatoris patrimonia. De quo scripsimus ad *l. 1. §. non solum 6.* & ad *l. pater. 14. §. aviae 1. supra eod.*

§. 3. Ait Iureconsult. *Si solus servus legatus sit, & fideicommissaria libertate donatus fuerit: (licet Falcidia interveniente) totus vindicari, peti potest. Sed & si aliud praeterea capiat legatarius, adhuc servus totus peti potest. Quarta autem utriusque ex legato retinendam, ne impediatur libertas.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. si pupillus 21. §. si ego 1.* & ad *l. si servus 33.*

§. 4. Ait Iureconsult. *Si incertum sit an libertas praestari debeat, veluti si sub conditione, vel post tempus, data sit: nunquid incerto eo an praestetur, cum possit aut servus mori, aut conditio deficere, interim Falcidia admittenda est: deinde cum libertas competere vel deberi coeperit, tunc legatarius illam partem recipiet, quam Falcidia detraxerit? CAECILIO placebat, si quid ex operis eius medio tempore consecutus fuerit haeres, pretium eius in id erogare eum debere, propter legis Falcidiae rationem.*

## S V M M A R I V M.

1. Particula numquid tollenda est, & sententia leg. sine interrogatione legenda.

[1.] **G**OVEANVS. Si servo legato data per fideicommissum libertas sit, vel sub conditione, vel post tempus, incerto eo, an libertas praestetur: potest enim servus mori, aut conditio deficere, interim *Falcidiam* patietur legatarius, & quartam partem aestimationis servi haeredi offeret, quam recipiet, cum libertas servo deberi coeperit. Tum enim Senatusconsulto libertas impeditur, ac si a principio pure per fideicommissum esset data. Itaque tollenda particula est, *NUMQUID*, & sententia haec sine interrogatione legenda.

[2.] Ait Iureconsult. *CAECILIO placebat, &c.* Locus hic mihi corruptus videtur: neque enim haeres ex operis servi quicquam medio tempore percipere potest, cum possessio

2. Locus corruptus quomodo sit emendandus?

servi ad legatarium transferatur. Servum enim pure legatum ponimus. Loci igitur huius sententiam hanc esse oportet; Si tantum ex fructibus servi medio tempore percepit legatarius, quantum sufficiat ad faciendam quartam partem aestimationis servi, quam haeredi dederat, ab haerede nihil repetet. Satis enim ei esse debet, si in damno non versetur, neque ei suum ministerium damno sit. Erogabit igitur & imputabit legatarius in pretium servi, quod ex fructibus medio tempore accepit. Ita enim legitur in Pandectis Florentinorum, & aliis veteribus codicibus: dictio igitur, *HAERES*, interpretis esse videtur, & quidem imperiti. Qua retenta nihil quidem falsi suscipimus, sed sententiam superiori minus convenientem recipimus.



## XXXVII. VALENS.

*Eius servi aestimatio perinde, ac statuliberi, fieri debet. Sed & si haeres servum alienum rogatus est manumittere: placuit, ut etiam eius pretium ex aestimatione haereditatis deduci debeat.*

## S V M M A R I V M.

1. Minor est statuliberi aestimatio, quam servi. 2. Servorum etiam heredis pretia deducuntur.

[1.] **G**OVEANVS. Servus legatus, cui per fideicommissum data libertas est, vel sub conditione, vel post tempus, aestimari debet, quasi statuliber, eiusque aestimationis quartam partem legatarius interim haeredi offeret: minor autem statuliberi aestimatio est, quam servi. De quo diximus ad *l. in ratione* 11. §. 1. *supra eo*. Perinde autem servum hunc aestimari, ac statuliberum ait Iureconsultus, quia servus is, cui per fideicommissum data libertas est, statuliber non est. Directa enim libertas, vel post tempus, vel sub conditione data, statuliberum facit. *l. in bello* 12. *de capti*. Quo

loco statuliber manifeste ab eo servo separatur, cui per fideicommissum data libertas est.

[2.] Ait Iureconsult. *Sed & si servum alienum haeres rogatus est manumittere.* Non solum pretia servorum testatoris in aere alieno deducuntur, verum & pretia servorum ipsius haeredis, quos haeres rogatus est manumittere, sed & alienorum servorum, quos haeres rogatus est manumittere, pretia de haereditate deduci placuit, ne impediatur libertates: quae non deducerentur, si legatis alienis servis per fideicommissum a legatario relicta libertas esset. De quo dixi ad *l. Iulianus* 34.

## XXXVIII. HERMOGENIANVS Libr. 1. Iuris Epit.

*Statuliber haeredis non auget familiam. Communes servi in utriusque patrimonio connumerantur. Cuius ususfructus alienus est, in domino proprietarii connumeratur. Pignori dati, in debitoris: sub lege commissoria distracti, item ad diem addicti, in venditoris.*

## S V M M A R I V M.

1. Statuliberi cur non computentur in ratione leg. Falc.?  
2. Servus communis tantum pro parte computatur.  
3. Servi pignori dati computantur.  
4. Item servi lege Commissoria distracti & in diem addicti.  
5. Lex Commissoria unde dicta?

[1.] **G**OVEANVS. Quamvis statuliber possit interea alienari, & haeredi interea acquirat, & statulibera haeredi pariat, haeredis denique interea sit, VLPIANO teste

in *Tit. de statulib.* & POMPONIO in *l. statuliberum* 11. *de leg.* 11. & PAPINIANO in *l. & post* 12. §. *ulti. famil. erisc.* tamen in ponenda ratione *legis Falcidiae*, & patrimonii quantitate ineunda, statuliberi non computantur propter incertum conditionis, in quam statuta libertas est. Cui consequens est, ut propter conditionales libertates legata cum Praetoria cautione praestentur. *l. 1. §. haec verba* 11. *Tit. seq.*

[2.] In testatoris haereditate non totus servus communis, sed pars computatur: Quamvis quod commune est, nostrum dici possit: servus, cuius alienus est ususfructus, computatur: quamvis in quibusdam iuris partibus domini pars sit ususfructus. Fructuarius enim neque dominus est, neque iustus possessor. *l. naturaliter* 12. *de acquiren. possess.* *l. sciendum* 4. *qui satisd. cog.*

[3.] Servi pignori dati computantur, quamvis corporaliter a creditore detineantur, & iure pignoris distrahi possint. Ratio illa est, quia debitor pecuniam habet, aut rem, pro qua servum pignori dedit.

[4.] Servi lege Commissoria distracti, item in diem addicti, in venditoris bonis numerantur: nam & qui lege Commissoria vendidit, vel pretium,



tium, vel lege venditionis commissâ rem habiturus est, & qui in diem addixit, quoquo modo addixerit, rei venditæ pretium habet: neque refert, an ita addixerit, ut statim emptoris fieret, an vero ita, ut tum demum venditoris fieret, si intra diem nihil quicquam adderetur. Iis enim duobus modis addici in diem solet. *l. 2. de in diem addic.*

[5.] *Lex Commissoria* unde dicta sit, non factis constat. PAPINIANS tamen *l. 4. §. eleganter. de lege commif.* ex eo dictam legem commissoriam 1. significat, quod venditionis lege commissâ, hoc est, non observata, res inempta fiat. Aliter legem commissoriam accipit IULIUS PAULVS in *tit. de lege commissoria. lib. II. sent. recep.*

## XXXIX. PAULVS Libro III. Sententiarum.

*Aeris alieni loco deducuntur non solum pretia eorum, quibus libertas data est, & eorum, qui supplicio sunt affecti, sed etiam eius, quem Praetor propter iudicium proditæ mortis, vel detectæ coniurationis reorum, libertate donavit.*

## S V M M A R I V M.

1. Cur servi testatoris manumissi aestimentur?
2. Pretia servorum pure manumissorum dedu-

cuntur.

3. Et qui supplicio affecti sunt.

[1.] **G**OVEANVS. Servorum, testamento manumissorum, pretia de hereditate deducuntur. *l. Papinianus 8. §. quarta 9. de inoff. test.* Neque refert, testatoris sint, an haeredis, an alieni, quos haeres rogatus est manumittere. Quaerat aliquis, quamobrem servi testatoris manumissi aestimentur? Et eo aestimari necesse est, ut patrimonii quantitas sciri possit, & quantum legatariis erogari poterit: nam de servi manumissi aestimatione inter haeredem & legatarios ambigi non potest, cum de universa hereditate pretium deducatur. De quo scripsimus ad *l. in ratione 11. §. 1.*

[2.] Pretia autem servorum pure manumissorum deducuntur: quamvis ante aditam hereditatem decedant. *d. l. in ratione. §. si servus*

*testamento 4. quin & sub conditione manumissorum pretia deducuntur, impleta etiam post mortem servi conditione. d. §. 1. l. in ratione.*

[3.] Sed & eorum, qui supplicio affecti sunt ob mortem domini non defensam. *d. §. si servus testamento.* Et eorum, quos Praetor propter iudicium mortis proditæ, ex senatusconsulto manumittit, vel ob detectam coniurationem in domini caput, & orcini liberti fiunt. *l. qui ob necem. 5. qui sine manumiss. l. si necem. 4. de bon. lib. neque eorum servorum pretia haeredi Fiscus refundit. l. 1. C. quib. ex caus. ser. lib.* Ex alia causa, si servo libertas a Praetore imponatur, ut ob detectam coniurationem monetariorum, pretium servi a Fisco haeredi refunditur. *l. servi 5. d. tit. quib. ex caus. ser. lib.*

## XL. HERMOGENIANVS Lib. IV. Iuris Epitom.

*Ad veterani testamentum sive paterfamilias, sive filiusfamilias sit, licet intra annum missionis decedat, lex Falcidia pertinet.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. si post missionem 17.*

§. 1. Ait Iureconsult. *Si cui, si decem dedisset, viginti fundus fuisset legatus, is in fundo legatarius habebitur.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. si dignum 19. & ad l. in ratione 30. secunda §. vendere 1. supra eod.*



## XLI. PAVLVS Lib. IX. ad Edictum.

*Dolo carere non videtur, si iam mota quis controversia haereditatis, legata sine cautionibus det.*

## S V M M A R I V M.

1. *Mota hereditatis controversia, heredi, ut legata solvat, cautione opus est.* 2. *Dolus h. l. culpam notat.*

[1.] **G**OVEANVS. Ante litem haereditatis motam, qui de suo legata solvit, evicta haereditate condicit: & si propter inopiam eius, cui solvit, consequi nihil possit, retentionem rerum haereditariarum, & haereditationes cedit. *l. quod si possessor 17. de pet. haered. l. Papinianus 8. §. uli. de inoff. testa.* post motam controversiam haereditatis, qui de suo praestat, evicta haereditate retentionem eo nomine non habet. Itaque cautio ei necessaria est. *l. haec autem 4. §. haec cautio 2. titu. sequ. d. l. quod si possessor. 17.* Quod si vel rem, vel pecuniam haereditariam praestet, necessaria cautio non est, si ante litem haereditatis motam praestet, cum eo nomine victus non teneatur, qui

neque possidet, neque dolo fecit, quo minus possideret post litem motam culpa nomine tenebitur. *d. §. haec cautio.* Moveri autem controversia haereditatis potest, si testamentum inofficiosum, si falsum, si ruptum, si iniustum dicatur.

[2.] Ait Iureconsult. *Dolo carere non videtur.* Quem dolum hoc loco vocat, culpam appellat in *d. §. haec cautio.* Et vero magna negligentia dolo aequiparatur. *l. quod Nerva 32. depositi.* Non perpetuo tamen. Nam neque propter culpam actio de dolo datur, neque ob culpam in litem iuratur, neque ob negligentiam a tutela remotus infamiam incurrit. Postremo in criminibus dolus a culpa separatur: de quo scripsimus ad *l. si mensor 5. si mens. Fal. mod. dix.*

## XLII. Idem PAVLVS Lib. XVIII. ad Edictum.

*Servi, qui apud hostes sunt, post mortem testatoris reversi, quo ad Falcidiam pertinet, locupletiores faciunt haereditatem.*

## S V M M A R I V M.

*Servi iacente hereditate reversi, quantum ad leg. Falc. hereditatem augent.*

**G**OVEANVS. Servos redire postliminio constat, verum non ante, quam in domini potestatem revertantur. *l. uli. de cap. & postli. rever.* Itaque reversi iacente haereditate,

non videbantur locupletius facere patrimonium testatoris. Verum Iureconsultus respondet, quod ad legem Falcidiam attinet, videri postliminio rediisse, & haereditatem augere.

## XLIII. Idem PAVLVS Lib. XXI. ad Edictum.

*Falcidia intervenire non potest, si statuliber de alieno dedit, non de bonis defuncti: vel alias est homo liber, qui conditionem implevit.*

**G**OVEANVS. Non solum lex Falcidia in legatis locum habet, verum & si quid statuliber conditionis implendae causa de peculio extraneo dederit, ad legem Falcidiam revocabitur, nam de patrimonio testatoris datur. Si de bonis alienis dederit vel aliquis pro eo conditionem adimpleverit, lex Falcidia locum non habet: quae ad ea duntaxat pertinet, quae de patrimonio

testatoris erogantur *l. 1. §. non solum 6. supra eod.* si statuliber haeredi dederit, & de peculio dederit, imputari id in Falcidiam scribit Iureconsultus, in *l. idem 63. infra eod.* facit *l. etiam si 5. §. sed Sabinus 14. de pet. haered.* Quid ergo si extraneus accipere nolit, aut antequam accipiat, moriatur? Et eo casu perinde servum liberum fieri, ac si dedisset, scribit VLPPIANVS in *tit. de statulib.*



## XLIV. VLPIANVS Lib. XIV. ad Edictum.

*In Falcidia aestimatio pretii rerum ex veritate facienda est.*

GOVEANVS. Sententiam legis huius plenius idem VLPIANVS exponit *l. in lege Falcidia* 45. *infra eod. iuncta l. seq.*


## XLV. PAVLVS Lib. LX. ad Edictum.

*In lege Falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictum est. Medii enim temporis commodum computatur in iis legatis, quae sub conditione relicta sunt. PROCVLVS putabat, cum quaereretur de lege Falcidia, tantum esse in legato, quanti venire posset.*

## S V M M A R I V M.

1. Quod in diem relictum est, pro puro non habetur in lege Falc.

2. Lex haec perperam divisa est.

[1.]  OVEANVS. Quod in diem relictum est, & si pro puro habetur quod ad cessationem diei attinet. *l. 1. de conditio. & demonstr. pro puro* tamen non habetur, cum de lege Falcidia quaeritur. Medii enim temporis commodum haeredi computatur, & eo deducto, quod superest haeres imputat legatariis. *l. in quantitate* 73. §. *in diem* 4. & *l. circa* 66. *infra eod. de quo* plene dicemus ad *d. §. in diem.* & *l. qui quadringenta* 88. §. *ult.*

[2.] Ait Iureconsult. *In iis legatis, quae sub conditione relicta sunt.* Hoc principium est, §. ut testantur Pandectae Florentinorum, & veteres codices. Multae leges eodem modo perperam divisa, & intercisae sunt, *l. Gallus* 29. *de liber. & posthu. l. cum tale legatum* 72. *de con-*

*ditio. & demonstr. l. quaerebatur* 82. *hoc titu. & aliae* innumerabiles. Exponitur autem in hoc §. simul & improbat *PROCVLI* sententia, existimantis in iis legatis, quae sub conditione relicta sunt, tantum esse, quanti nomen venire posset. Itaque statim sciri posse, num Falcidia locum haberet. Verum ea ratio & haeredi & legatariis damnosa esse potest. Itaque melius res cautionibus interpositis temperabitur, ut pura, praesentiaque legata interea solida praestentur exacta cautione: perinde ac si nulla alia sub conditione relicta fuissent. *d. l. in quantitate* 73. §. *sed & si* 2. Sane si a principio constet, locum esse legi Falcidiae propter legata pura, necessaria erit *PROCVLI* aestimatio: ita enim & annum legatum aestimari videmus, cum statim apparet, Falcidiae locum esse, *l. cum Titio* 55. *infra eod. de quo* plura eo loco dicemus.

§. 1. Ait Iureconsult. *Quod si est, & deductio potest fieri, ut tantum videatur inde deberi, quanti nomen venire potest. Sed haec sententia non probatur. Cautionibus ergo melius res temperabitur.*

GOVEANVS. Deductionem dicere videtur Iureconsultus pro Falcidiae detractio-  
ne. *PROCVLI* tamen sententiam improbatam

sequi videtur *CELSVS* in *l. si propterea* 53. *infra eod. de quo* dicemus suo tempore.

## XLVI. VLPIANVS Lib. LXXVI. ad Edictum.

*Qui quod per legem Falcidiam retinere poterat, voluntatem testatoris secutus spondit se daturum: cogendus est solvere.*

## S V M M A R I V M.

1. Patronus de portione reverentiae patronali debita nihil praestare cogitur.

2. An ad retentionem pactum proficiat.



[1.] **G**ROVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. quod bonis* 15. §. 1. & ad *l. Seius & Agerius* 27. *supra eod.* facit *l. fideicommissum* 17. *de cond. ind.* Aliud de patrono dicendum est, qui etiam si fideicommissario extraneo stipulanti promiserit, tamen de portione reverentiae patronali debita, nihil praestare cogitur. *l. si patronus* 20. *de donat.*

[2.] Ait Iureconsult. *Spondit se daturum.* quid ergo si pactus est? & constat ex pacto

actiones in cives Romanos non dari. Sane ad retentionem pactum proficiet, si rei legatae possessio apud legatarium erat. Idem dicendum, si quibusdam legatariis solida legata haeres praestiterit. Omnibus enim solida praestare compellitur. *l. ult. C. ad legem Falc.* Neque est, quod quisquam dicat, stipulationem hanc quasi sine causa factam non valere: voluntas enim testatoris iusta causa haeredi fuit promittendi. Quae ratio decidendi in *l. 1. C. ad leg. Falcid.*

XLVII. Idem VLPIANVS Lib. LXXIX. ad Edictum.

*Lex Falcidia (si interveniat) in omnibus pensionibus locum habet: sed hoc ex postfacto apparebit: ut puta in annos singulos legatum relictum est; quandiu Falcidia nondum locum habet, integrae pensiones annuae dabuntur. Sed enim si annus venerit, quo fit ut contra legem Falcidiam ultra dodrantem aliquid debeatur: eveniet, ut retro omnia legata singulorum annorum minuantur.*

S V M M A R I V M.

1. Si in annos singulos dena legentur, in anni primi pensione Falcidia statim non ponitur.

2. Nisi ab initio appareat, locum esse Falcidiae.

[1.] **G**ROVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. quod bonis* 15. §. non idcirco 2. *supra eod.* Si in annos singulos dena legentur, non statim in pensione anni primi Falcidia ponitur, sed expectabitur is annus, quo apparuerit contra *legem Falcidiam* aliquid erogatum. Et tum superiorum annorum pensiones retro minuentur. Et si eius anni pensio sufficiat haeredi, nihil reddent legatarii: neque enim interesse potest legatariorum, si plena Falcidia in ultima pensione servetur. De quo diximus ad *l. si ex pluribus* 16.

[2.] Quid ergo si ab initio appareat, locum esse *legi Falcidiae* propter alia legata? Et eo

casu aestimabitur annum legatum quanti vendi poterit, & de ea quantitate detrahetur Falcidia. *l. cum Titio* 55. *infra eod.* Quid si praeter annum legatum, alia quoque legata relicta sint, neque dum appareat, locum esse *legi Falcidiae*? Et eo casu pura legata solida praestabuntur exacta cautione Praetoria propter legata sequentium annorum, quae sunt conditionalia. *l. 1. §. si in annos* 13. *supra eod.* Quod si centum annua, bima, trima die legata sint, de omnibus pensionibus detrahitur Falcidia. *l. poenales* 32. §. *annua* 3. *supra eod.* quod statim ex computatione apparet, num *legi Falcidiae*, cum certum sit, legata sequentium annorum debitum iri. *l. 3. tit. sequen.*

§. 1. Ait Iureconsult. *Nunquam legatarius vel fideicommissarius (licet ex Trebelliano senatusconsulto restituatur ei haereditas) utitur legis Falcidiae beneficio.*

S V M M A R I V M.

*Cur legatarius vel fideicommissarius legis Falc. beneficio non utatur?*

**G**ROVEANVS. *Lex Falcidia* haereditis causa lata est. *l. potest haeres* 71. *infra eod.* Quare legatarius in fideicommissis a se relictis Falcidiam non inducet, nisi in casu *l. poenales* 32. §. *ult. supra eod.* Et per consequens neque fideicommissa-

rius particularis. Idem dicendum, si haereditatis portio legata sit, vel per fideicommissum relicta. Idem dicendum de eo, cui ex Trebelliano haereditas restituta est: quamvis in eum actiones transferantur, hoc est, quamvis successor per Trebellianum fiat. Si enim ad eum ducenta



duntaxat pervenerint, & testator ducenta legaverit, qui in bonis habebat quadringenta, ducenta omnino praestabit. *l. 1. §. si is, qui quadringenta 17. ad Trebel.* Sane si suspecta haereditas dicatur, cum eadem diminutione praestabuntur legata a fideicommissario, cum qua haeres praestitisset. *l. Marcellus 3. ad Trebel.*

Neque melior conditio fiet legatariorum propterea, quod suspecta dicta sit haereditas. Quin & si in prioris fideicommissarii gratiam quartam haeres non retineat, dodrans, duntaxat haereditatis fideicommissario secundo restituetur. *d. l. 1. §. inde Neratius 19. ad Trebel.*

### XLVIII. PAVLVS Lib. II. ad Edictum Aedil. Curulium.

*Cum emptor venditori, vel contra, haeres extiterit: evicto homine utrum duplum in aes alienum deducere, vel computare debeat, an simplum? duplum enim esset, si alius haeres extitisset. Et benignius est, eodem haerede existente, simplum ei imputari.*

#### S V M M A R I V M.

*Venditio hereditatis omnia onera in hereditatem transfert.*

**G**OVEANVS. Venditori, qui duplam debebat, emptor haeres extitit. In ratione *Falcidiae* ponenda simplum haeres, & idem creditor deducet. Et ex contrario, si venditor, qui duplam debebat, emptori haeres existat, simplum in haereditate computabit, & tanto intelligetur locupletiorē haereditatem accepisse. *l. 1. §. si debitor 18. supra eo.* Debitor enim solvere haereditati intelligitur. Nam inter haere-

dem & haereditatem actio quaedam proponitur. *l. is, cui 41. §. si is, qui fundum 2. de evictio.* In quo iudicio benignius est simplum, quam duplum venire. Neque obstat *lex 2. §. si Titius 15. de haered. vel actio. vend.* Venditio namque haereditatis haereditaria omnia onera in venditorem transfert, & in locum testatoris emptorem constituit. *d. l. 2. §. cum quis 18.* Quando promitti emptori duplam oporteat, scribit Iureconsultus in *l. emptori 32. De evict.*

### XLIX. Idem PAVLVS Lib. XII. ad PLAVTIVM.

*PLAVTIVS servo, quem tibi legaverat, fundum legavit. ATILICINVS, NERVA, SABINVS primum in servo rationem legis Falcidiae habendam: & quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram: deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiae portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis. CASSIVS, quod si servo pars lege Falcidia decedat, incipere servum fieri communem haeredis & legatarii. Communi autem servo cum legatum sit, totum pertinere ad socium: quia in eam personam legatum consistere potest. Qua ratione semel ex fundo partem lege Falcidia decessuram. PAVLVS. CASSII sententia utimur. Nam & DIVVS PIVS rescripsit, servo communi fideicommissum datum, totum ad socium pertinere.*

#### S V M M A R I V M.

*Diversae veterum Ictorum super h. l. sententiae.*

**G**OVEANVS. Servo, quem tibi legaveram, fundum legavi. **A**TILICINVS **N**ERVA, **S**ABINVS lege *Falcidia* interveniente quota pars ex servo decederet, fundum pro ea parte inutiliter legatum existimabant, cum servo haeredis inu-

tiliter legetur, propter *regulam Catonianam*. *§. an servo 32. de lega. lib. II. Instit.* Deinde ex reliquis partibus *Falcidiam* deducendam, quas solas in legato esse constaret. **C**ASSIVS vero ab eorum sententia recessit, quia si de servo per *legem Falcidiam* portio decedat, incipiat servus com-



communis fieri haeredis & legatarii: communi autem seruo cum legatum sit, totum ad socium pertinere, in cuius duntaxat persona legatum consistat. *l. verum 9. §. si seruo communi 63. pro socio. l. si Eros 11. de opt. leg.* Neque refert testatorisne & legatarii communis servus fuerit, an haeredis & legatarii, an vero per *legem Falcidiam* haeredis & legatarii factus communis sit. Nam neque pro parte testatoris, neque haeredis, legatum consistit. Sane in seruo testatoris illa praeterea ratio est, quod cedente die legati solus socius est, qui per eum servum possit acquirere. *d. l. si Eros.* Quae ratio in seruo communi haeredis, vel eo, qui postea per *legem Falcidiam* haeredis communis factus est, locum non habet: nam cedente die legati, (cedit autem a morte testatoris) per servum communem

acquirere haeres potest, repudiata haereditate. *CASSII* sententia obtinuit, & secundum eam *DIVVS PIVS* rescripsit. Itaque semel ex fundo per *legem Falcidiam* portio decedet. Neque obstat *l. per servum 37. §. 1. de acquir. rer. domi.* in qua quod seruo communi socius donat, pro parte apud donatorem remanet. Donatio enim praesens est, praesentemque habet effectum: legatum autem in mortem testatoris differtur, quo tempore acquiri ei non potest per servum communem. Quae eadem responsio accommodanda est, ad *l. proinde 7. §. si servus communis 1. de stip. ser.* Porro quod de legato dicimus, dici potest de donatione causa mortis, ut si causa mortis socius seruo communi donet, totum socio acquiratur.

§. 1. Ait Iureconsult. *Interdum evenit, ut propter rationem legis Falcidiae sequens legatum extinguatur: veluti si fundus, & ad eum via legata sit per alium fundum. Nam si pars fundi remanserit in haereditate, non potest procedere viae legatum: quia pro parte servitus acquiri non potest.*

**G**OVEANVS. De sententia §. *buius* diximus ad *l. si fundus 23.* Quamobrem servitus pro parte dominii acquiri non possit,

notum omnibus esse arbitror. Ad certam vero fundi partem acquiri servitutem constat. *l. ad certam 6. de servit.*

#### L. CELSVS Lib. XIV. Digestorum.

*Non est dubium, quin ea legata, a quibus summovere haeres exceptione petitorum potest, in quartam ei imputentur, ne caeterorum legata minuantur.*

**G**OVEANVS. Speciem legis *buius* posuit Iureconsultus in *l. si a me tibi 29. supra eod.*

#### LI. IVLIANVS Lib. LXI. Digestorum.

*Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidente postea in eum casum pervenerit legatum, ut actio eius denegaretur.*

**G**OVEANVS. De sententia legis *buius* diximus ad *l. in ratione 11.*

#### LII. MARCELLVS Lib. IX. Digestorum.

*Ex asse patronum haeredem instituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet, & legavit filio centum, viginti extraneo reliquit. Diminutio legati, quod extraneo praestatur, proficit filio ad consequenda solida, quae ei legata sunt.*

### S V M M A R I V M.

1. *Interdum & alterius legis, quam Falcidiae ratio habenda est, in legatis praestandis.*

2. *Vt in casu liberti leg. Papiae.*

3. *Cur extraneo hoc casu legatum non praestetur.*



[1.]



OVEANVS. Interdum alterius legis, quam *Falcidiae*, ratio in praestandis legatis habetur, ut puta, si patronus ex assē institutus haeres sit, & aliquid supra debitam patrono partem legatum: nam hoc casu ratio habenda est eius legis, quae patronum vocat, non *Falcidiae*. l. 1. §. interdum 12. tit. seq. Ea autem *lex Papia* est, ex qua in bonis liberti maioris centenario patrono, seu patronis semis debebatur. §. postea 2. de succes. lib. & l. si libertus 16. de bon. liber. Veruntamen ex ea portione coniunctis personis legata patronus praestabat. l. si iis 4. de cond. & demon. l. si eius 64. §. si patronus 3. ad Trebel. salva tamen *Falcidia*.

[2.] Si igitur libertus, qui ducentos aureos in bonis habet, patrono ex assē haerede instituto, filio centum, extraneo viginti relinquat. Filius solida centum consequetur: propterea quod extraneo patronus nihil praestat. Quaecunque enim de causa legatum non praestatur ab haerede, caetera legata augeri constat. Itaque negationem huic loco deesse, semper existimavi, & sic legendum DIMINVTIO LEGATI, QVOD EXTRANEO NON PRAESTATVR.

[3.] Quamobrem autem hoc casu extraneo legatum non praestetur, merito quis dubitaverit, cum patronus non ex portione debita, sed ex assē haeres sit institutus. Verum ea ratio in-

stituto patrono captiosa esset. Nam ex semisse institutus extraneis nihil praestaret. Bonorum enim possessionem contra tabulas acciperet, quod ex assē institutus facere non potest. Itaque adiuvandus hoc casu a Praetore videtur, & legati extraneo relicti onere levandus. Eadem aequitas facit, ut patronus ex assē haeres institutus *Fabiana actione* uti volens audiatur. Iniquum enim sit, eum *Fabiana* excludi, cum haereditatem sponte non adeat, sed quia contra tabulas petere non possit. l. si patronus 3. §. patronum 2. si quid in frau. pat. Contra tabulas ex assē patronus institutus petere non potest: quia adita demum haereditate petitio contra tabulas patrono datur. l. illud 4. de bon. poss. cont. tab. Adiuvandi a Praetore eos, qui inviti & necessario aliquid faciunt, intelligimus ex l. si filius qui patri. 12. de vulga. & pupill. Neque est, quod quisquam dicat, centum inter filium & extraneum hoc casu dividi, ut filius quinque partes habeat, extraneus sextam. Si quid enim de legato filii diminuas, bonorum possessionem contra tabulas petet filius: neque extraneo legatum aut patronus, aut filius praestabit, aut si patronus filio farciat, quod ei abstulerit extraneus, verum erit propter legatum extranei debitam portionem patroni diminui: quod nequaquam admitendum est. Verba autem illa, DIMINVTIO LEGATI, sic accipienda sunt, EXONERATIO LEGATI.

§. 1. Ait Iureconsult. *Quaecunque ex causa legata non praestant, imputantur haeredi in quartam partem: quae propter legem Falcidiam remanere apud eum debet.*

GOVEANVS. De sententia §. huius, multis iam locis scripsimus.

LIII. CELSVS Lib. XVII. Digestorum.

*Si propter ea, quae sub conditione legata sunt, pendet legis Falcidiae ratio, praesenti die data, non tota vindicabuntur.*

S V M M A R I V M.

*Ex vett. Codd. pro non reponendum est tamen, nisi statuatur CELSVS sententiam PROCVLI fuisse sequutus.*

GOVEANVS. Condicio legato apposita facit, ut ratio *Falcidiae* pendeat. Sed ea incertitudo non impedit, quo minus legata pura solida interea praestentur, cum Praetoria tamen cautione. Potest enim existere conditio, & *Falcidiae* locum facere. l. in quantitate 73. §. sed & si 2. infra eod. l. 1. §. si legata 7. titu. seq. Tota itaque legata vindicantur, quae praesenti die data sunt, hoc est, pure. Nam conditio diem incertam habet. Mirum itaque videri possit, quamobrem negēt CELSVS, pure legata tota interim vindicari. Et in veteribus quibusdam

codicibus pro NON, legitur TAMEN, hac nota tñ. Nisi quis dicat, CELSVM PROCVLI sententiam secutum expositam a PAULO in l. in lege Falcidia 44. eod. Si enim legati conditionalis fiat aestimatio, (ut PROCVLO visum est) non est dubium, quin legata pura diminuantur, neque tota vindicari possint. Vtrunque CELSVM sectam PROCVLI secutum testatur Iureconsultus in l. 2. de orig. iuris. Sane propter legata in diem relicta ratio *legis Falcidiae* non pendet l. 3. tit. seq. Certum enim est, debitum iri. Itaque propter eiusmodi legata, quae praesenti die data sunt, non tota vindicantur.

LIV.



## LIV. MARCELLVS Lib. xv. Digestorum.

*Pater filium, ex quo tres habebat nepotes, haeredem instituit, fideique eius commisit, ne fundum alienaret, & ut in familia eum relinqueret. Filius decedens tres filios scripsit haeredes. Quaerendum est, an omnino quasi creditores unusquisque in ratione legis Falcidiae aliquid possit deducere: quia in potestate sua habuit pater, cui ex his potius relinqueret. Sed hac ratione nemo in Falcidiae ratione quicquam deduceret. Quod videndum est, ne dure constituatur: utique enim in alieno aere habuit fundum: quippe cum necessitate obstrictus fuisset filiis eum fundum relinquendi.*

## S V M M A R I V M.

1. Prohibitio alienationis facit, ne alii de familia, quamdiu nepotes erunt, fundus relinqui possit.

2. An nepotes ex disparibus partibus instituti deducant partes viriles?



OVEANVS. Pater filio haeredi instituto, ex quo tres habebat nepotes, fideicommissit, ne fundum alienaret, & ut in familia relinqueret. Alienationis prohibitionem valere constat, cum personae demonstratae sint, quarum respectu id testator disposuerit. *l. filiusfa. 114. §. Divi II. de lega. 1.* Neque alii de familia, quamdiu nepotes erunt, fundus relinqui potest: Quamvis familiae fundum relinquere rogatus unum ex familia eligere possit, etiam gradus ulterioris. *l. unum ex familia 67. §. si de Falcidia 1. de leg. II.* Cum igitur ex causa fideicommissi nepotes patris sui creditores sint, in ratione legis Falcidiae unusquisque aliquid deducet: quamvis enim pater unum eligere potuerit, cui fundum relinqueret, & ea ratione nullius creditor videretur: tamen alicui ex liberis fundum relinqui necesse erat, hoc est, quamvis neque primo fundum relinquere cogeretur, neque secundo, neque

tertio, primo tamen, vel secundo, vel tertio relinqui fundum necesse erat. Neque habenda pro beneficio est electio necessaria. *d. l. unum ex familia.*

[2.] Quaero num viriles partes deducant nepotes ex disparibus portionibus instituti? Et respondeo, haereditarias portiones deducturos. Verum enim est, in familia relictum esse fundum, & si uni totus relictus sit. *d. l. filiusfam. §. cum pater 15.* Fundo extraneo legato, liberis, uno, pluribusve exhaeredatis, ad fideicommissi petitionem exhaeredati admittentur. Nam instituti non possunt. Sed & emancipati admittentur fundo a testatore alienato. *d. §. cum pater.* verum fratres haeredes scripti ratione doli exceptionis, exhaeredatis fideicommissum petentibus, partem facere intelliguntur. *d. l. unum ex familia. §. sed si unum 3.*

Ait Iureconsult. *Ex quo nepotes tres habebat.* Qui enim nati nondum sunt, in familia nostra non sunt, neque enim dum nominati sunt. *l. cum ita 32. §. in fideicommissio 6. de lega. II.*

## LV. Idem MARCELLVS Lib. xx. Digestorum.

*Cum Titio in annos singulos dena legata sunt, & iudex legis Falcidiae rationem inter haeredem & alios legatarios habet: vivo quidem Titio tanti litem aestimare debet, quanti venire id legatum potest: in incerto posito, quamdiu victurus sit Titius. Mortuo autem Titio, non aliud spectari debet, quam quod haeres ex ea causa debuerit.*

## S V M M A R I V M.

Cur necesse, ut annui legati fiat aestimatio?

OVEANVS. Sententiam legis huius attigimus ad *l. in lege Falcidia 44.* & *l. lex Falcidia 47.* si annua dena legata sint, & propter alia legata ab initio ratio legis Falcidiae ponatur, necesse erit aestimare annum legatum, ut sciatur,

quantum legatario praestari oportet. Tanti autem aestimabitur, quanti vendi poterit, incerto eo quamdiu Titius victurus sit. Mortuo autem Titio si Falcidiae ratio ponetur, annorum, quibus Titius vixit, fiet computatio, & de ea quantitate Falcidia detrahatur. Haec autem aestimatio



matio necessaria est, five nihil, five minus quarta relictum sit haeredi. Vusufructu vero legato, siquidem testator universum patrimonium legatis erogavit, nulla necessaria aestimatio est: quarta enim usufructus, sicuti & corporum retinetur *l. 1. §. si usufr. 9. supra eod.* Quod si testator in legando reliqui aliquid fecerat, tum quia legatarii non aequis partibus in *Falcidiam* conse-

runt, neque quartam cuiusque legati partem haeres retinet: plus enim quadrante bonorum haberet: eo inquam, casu aestimari oportet usufructum ut & alia legata, non ut de aestimatione conferant legatarii, sed ut sciatur, quanta cuique legato portio per *legem Falcidiam* decedat. Et hanc sententiam esse puto. *l. 1. §. sed & in usufruct. 9.*

### LVI. Idem MARCELLVS.

*Cum quo de peculio agi poterat, haeres creditori extitit. Quaeritur cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege. Plerique putant quod tunc in peculio fuerit, cum adiretur haereditas, inspiciendum. Ego dubito: quoniam mortis tempus in ratione legis Falcidiae ineunda placuit observari. Quid enim interest, peculium servi post mortem creditoris diminutum sit, an debitor pauperior factus sit? Aliquis dicet, quid ex contrario, si ante aditam haereditatem adquisierit servus? Et ego quaeram, quid si debitoris, qui tunc non erat solvendo, ampliatas facultates fuerint? Et cum isto placuerit ex post facto uberiores videri fuisse haereditatem, sicuti cum conditio crediti extitit post mortem, ita etiam peculii incrementum pleniores faciet haereditatem.*

### S V M M A R I V M.

*Mortis tempus in Falc. legis ratione ineunda observandum est.*

**G**OVEANVS. Ex contractu servi dominus peculio tenus convenitur Praetoria actione *de peculio*. Si igitur dominus creditori haeres existat, tanto locupletiores haereditatem accepisse intelligitur, quantum erat in peculio moriente creditore. Et enim in patrimonii quantitate exquirenda mortis tempus spectari placuit. *l. in quantitate 73. infra eo. l. eo tempore 50. §. si creditor 1. de peculio.* Quare si peculium post mortem testatoris diminutum sit, nihilo minorem propterea haereditatem intelligitur haeres accepisse. Nam neque pauperior factus debitor haereditatem imminuit, cum de *Falcidia* quaeritur.

Damna enim, quae post mortem testatoris contingunt, solum haeredem respiciunt. *l. in ratione 30. supra eo.* Neque movet, quod si ante aditam haereditatem servus peculium auxerit, uberiores ex post facto haereditas intelligatur. *l. si creditor filii 83. infra eod.* Nam & si debitoris, qui moriente testatore solvendo non erat, amplientur postea facultates, plenior fit haereditas, sicuti cum conditio crediti extitit post mortem testatoris. *l. in quantitate 73. §. magna 1. infra eo. Peculium nasci, augeri & mori scribit Iureconsultus in l. peculium 65. de leg. II. & l. Peculium 40. de pecul.* Itaque homini comparatur.

§. 1. Ait Iureconsult. SCAEVOLA notat, quid ergo si idem servus defuncto & alii dena debuerit, & una decem habeat? Augetur scilicet & bis haereditas, decem (quae defuncto naturaliter debebantur) in haereditate manentibus.

### S V M M A R I V M.

*Qualis h. l. pertractetur quaestio?*

**G**OVEANVS. Sequens illa quaestio est, num si servus defuncto, & alii dena debuerit, & una decem in peculio habeat, ex iis decem haereditas augeatur, an vero tantum ex quinque? Et magis est, ut tota decem in haereditate compu-

tentur: neque de decem quinque deducantur: quamvis si creditor servi domino haeres existat, suum debitum deducat. *l. peculium 5. §. sed & creditor 9. de pecul.* Quamobrem autem tota decem dominus in creditoris haereditate computet, ratio illa esse videtur, quia in actione *de pe-*



peculio praeventioni locus est *l. si vero* 10. de peculio. *l. 1. de in rem verso.* & *l. non ita* 6. de trib. actio. Quamobrem autem antevertere dominus & occupare videatur, ratio illa est, quia debitor creditori haeres existens, ipse sibi solvere intelligitur. Quoddam enim iudicium inter haeredem & haereditatem proponitur. *l. si ei, cui* 41. §. *si quis fundum* 2. de evict. uti su-

perius scripsimus ad *l. cum empt.* 48. Quae sententia illam rationem habet, quod quamvis dominus de peculio tantum creditori teneretur, non in certam ullam quantitatem, tamen servus naturaliter decem debebat. De servi naturali obligatione diximus ad *l. 1. §. id, quod natura* 17. supra eod.

§. 2. Ait Iureconsult. *Si quis in bonis unum duntaxat servum habebat, legavit eum Titio, & fidei eius commisit, ut post triennium manumitteret. Debet ex eo, quod interim ex operis servi ad Titium pervenire potest, quarta apud haeredem remanere: quemadmodum si directo post triennium servo libertatem dedisset, eiusque usumfructum ei legasset, aut ei proprietatem per fideicommissum reliquisset.*

## S V M M A R I V M.

*Quae sententia & vera b. l. lectio?*

**G**OVEANVS. Is, qui in bonis unum duntaxat servum habebat, eum Titio legavit, & fidei eius commisit, ut post triennium servum manumitteret; legatum valet. Vti enim scripsimus ad *l. si servus* 33. fideicommissaria libertas legatum servi non perimit. Quae si pure data esset, propter senatusconsultum cessaret omnino *Falcidia. d. l. si servus.* Nunc quia post triennium data libertas per fideicommissum est, ex eo quod interim de operis servi ad legatarium pervenire potest, quarta haeredi debetur. Id enim duntaxat in legato esse videtur, cum praeterea ad legatarium nihil cum effectu perveniat. Idem dicendum, si directo post triennium servo

suo testator libertatem dedisset, & eius usumfructum Titio legasset. Quarta enim de usufructu detraheretur: usufructus autem servi duobus modis legari potest, aut ita, *STICHI VSUMFRUCTUM TITIO LEGO:* aut ita, *STICHVM TITIO LEGO, ROGO VT PROPRIETATEM HAEREDI RESTITVAT.* Ex quo legato nihil praeter usumfructum legatarius consequitur. Servum namque petens *doli mali* exceptione repellitur. Neque aliam sententiam recipere possunt illa verba, *AVT EIVS PROPRIETATEM PER FIDEICOMMISSVM,* &c. Sic enim legendum arbitror, non *EI.* & sic habent veteres quidam Codices.

§. 3. Ait Iureconsult. *Stichum tibi, servo tuo decem legavit: vel contra, tibi decem, servo tuo Stichum, libertatemque Stichum fidei eius commisit; lex Falcidia minuit legata. Redimere ab haerede partem debes, quemadmodum si tibi utrumque legasset.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. si pupillus* 21. §. *si ego* 1. supra eodem.

§. 4. Ait Iureconsult. *Saepius evenit, ne emolumentum eius legis haeres consequatur. Nam si centum aureorum dominus, viginti quinque alicui dederit, & eum instituerit haeredem, & dodrantem legaverit: nihil aliud sub occasione legis Falcidiae intervenire potest: quia vivus videtur haeredi futuro providere.*

## S V M M A R I V M.

*Heredi futuro mortis causa donatur inutiliter.*



**G**OVEANVS. Si testator quadran-  
tem bonorum futuro haeredi vivus  
donaverit, nihil amplius occasione  
*Falcidiae* haeres consequetur: & le-  
gata minuere volenti *doli mali* exceptio opponetur.  
Nam ipso iure nisi quod iure haereditario  
accipitur, in *Falcidiam* non imputatur, *l. id  
quod 67. infra eodem.* Quaero si mortis causa do-  
naverit, quid iuris sit? Et puto haeredi futuro  
mortis causa inutiliter donari: nam & legari  
inutiliter constat. Quaero si minus quarta do-  
navit, quid iuris sit? Et puto, quartam illi re-

plendam, argumento. *l. si non mortis 25. de inoff.  
test.* Idem dicendum est, de quarta, quae que-  
relam testamenti inofficiosi excludit. Quam si  
pater vivus filio donaverit, ad querelam filius  
non admittetur. *d. l. si non mortis.* Neque ob-  
stat, quod filius, qui a patre res quasdam accepit,  
& pactus est de inofficioso non agere ea  
pactione non obligetur. *l. si quando 35. §. 1. de  
inof. test. C.* omnino enim filio quarta relinquen-  
da est, a qua nullis pactionibus potest sum-  
moveri.

### LVII. Idem MARCELLVS.

*Cum dotem maritus alicui legaverit, ut uxori restituatur, non habere legem Falcidiam locum dicendum est. Et sane in plerisque ita observatur, ut ommissa interpositi capientis persona spectetur.*

### S V M M A R I V M.

*Si maritus uxori dotem legat, nisi repraesentationis commodum versetur, Falcidiae locus non est.*

**G**OVEANVS. Si maritus uxori do-  
tem leget, & in legato nullum re-  
praesentationis commodum versetur,  
locus *Falcidiae* non est, scilicet quia  
suam rem mulier recipere videtur. *l. si usus-  
fructus 81. infra eod.* Repraesentationis autem  
commodum nullum sentit mulier, cum dos in  
rebus soli consistit: illae enim statim mulieri  
restituuntur matrimonio soluto. Annua enim,  
bima, trima die restituebatur dos, quae numero,  
pondere, mensura constabat. *l. unica §. cum autem  
7. C. de rei uxor. actio.* Et quemadmodum ipsi

mulieri si dos legetur, *Falcidia* cessat, ita quoque  
cessat, si Titio legetur, & is mulieri restituere  
rogatus sit. Persona enim accipientis spectanda  
est, non eius, qui quasi minister ad restitutio-  
nem deligitur. Quod si in legato commodum  
repraesentationis versetur, constat *Falcidiae* lo-  
cum esse. *l. si socer 1. §. idem 11. de dote prae-  
leg.* Et sane alia dos, quam quae pondere,  
numero, mensura constat, non dicitur proprie  
*praelegari*, cum in eo legato nullum sit com-  
modum repraesentationis, propter quod *praele-  
gari dos* dicitur.

### LVIII. MODESTINVS.

*Legis Falcidiae beneficium haeres etiam post longum tempus mortis testatoris implorare non prohibetur.*

### S V M M A R I V M.

*Portio heredis ex leg. Falc. usucapi pro legato non potest.*

**G**OVEANVS. Portio, que per *legem  
Falcidiam* apud haeredem remanere debet,  
in legato non est. Quare usucapi pro legato  
non potest, quin ne praescriptio quidem ex ea  
possessione oritur, quae titulum non habet. Ita-  
que post longum tempus recte beneficium *legis*

*Falcidiae* haeres implorat. Longum tempus de-  
cennium veteres appellabant, teste IULIO PAV-  
LO *lib. III. Senten. recep.* quo tempore hodie res  
soli usucapiuntur post transformata ab Impe-  
ratore usucapionem.



## LIX. Idem MODESTINVS.

*Beneficio legis Falcidiae indignus esse videtur, qui id egerit, ut fideicommissum intercederet.*

## S V M M A R I V M.

*Poenam non egreditur rem, in qua delictum est commissum.*

**G**OVEANVS. Qui legatam rem subtrahit, beneficio legis Falcidiae in ea re non utitur. Et ideo si is, qui quadringenta habet, universa leget, & haeres centum subtrahat, trecentorum quartam partem retinebit, septuaginta quinque scilicet, & ducenta xxv. dabit

legatariis: sed ex centum, quae surripuit, legatariis quidem dabit septuaginta quinque, reliqua, id est, xxv. ad Fiscum venient. *l. rescriptum 6. de iis, quib. ut indig.* In quo notandum est, poenam non egredi rem, in qua delictum commissum est.

§. 1. Ait Iureconsult. *Praeterea ei, qui non capienti rogatus est restituere haereditatem, senatusconsulto Plautiano non conceditur quartam retinere: sed ea quarta, quam non retinuit, ad Fiscum pertinet ex rescripto DIVI PII.*

**G**OVEANVS. De sententia loci huius diximus ad *l. si tacitum fideicommissum 13. supra eod.*

## LX. I A B O L E N V S.

*Cum pater impuberi filiae haeredem substituit: id, quod ei legatorum nomine a patre obvenit, cum haereditas ad substitutos pertinet, in computationem legis Falcidiae non venit.*

## S V M M A R I V M.

*Quod a patre filiae praelegatum est, in leg. Falc. non computatur.*

**G**OVEANVS. Quod pater filiae ex parte institutae praelegavit, in ratione legis Falcidiae non computat substitutus, sed praecipuum habet, quemadmodum & filia praecipuum haberet, si rationem cum legatariis posuisset: ex cuius persona cum legata praestantur,

*l. qui fundum 87. §. qui filium 4. infra eod.* ampliora non praestantur, quam filia praestitisset. de quo diximus ad *l. in ratione 30. supra eod.* Quod si filia patri haeres non extiterit, puto praelegatum computandum esse & augere haereditatem.

§. 1. Ait Iureconsult. *Legato petito, cum in litem iuratum est, ratio legis Falcidiae, non eius summae, in quam legatarius iuravit, haberi debet: sed eius, quanti re vera id fuit, quod petatum est. Nam id, quod poenae causa accrevit, in legem Falcidiam non incidit.*

## S V M M A R I V M.

*Quibus casibus in litem non iuratur?*

**G**OVEANVS. Si Stichus legatus sit, neque eum haeres praestet, legatario in litem iuramentum defertur. Et si quid ultra iustam servi aestimationem praestiterit, non nocet legatariis poena alienae contumaciae. Pe-

cunia legata iusiurandum in litem non defertur. *l. 2. de in lit. iur.* quia non aestimatur: neque item fundo legato, cum vindicari possit. Item si ex testamento agatur, in litem non iuratur. *l. alias 6. de in lit. iuran.*



## LXI. Idem IABOLENVS.

*Alienus fundus tibi legatus est: cum haeres hunc emere, nisi infinito pretio non posset, emit multo pluris quam quanti erat, qua emptione effectum est, ut legatarii ad legem Falcidiam revocarentur. Quaero cum si fundus tanti, quanti re vera est, emptus esset, legata non fuerint excessiva ius legis Falcidiae: an hoc ipso haeres institutus partem revocandi a legatariis ius habeat, quod ex voluntate defuncti pluris emerit fundum, quam quanti erat? Respondi, Quod amplius haeres, quam pretium fundi legatario solverit, id rationi legis Falcidiae imputari non potest: quia negligentia eius nocere legatariis non debet: utpote cum is confitendo veram aestimationem praestare poterat.*

## S V M M A R I V M.

*Diligentia heredis ut non prodest legatariis, ita nec nocet negligentia.*

**G**OVEANVS. Quemadmodum haeredis diligentia & industria legatariis non prodest, l. 3. supra eod. ita neque nocet negligentia. Nam & si fundum testator alienum leget, pretio tamen infinito emi non vult, & iustae aestimationis praestatione haeres defungitur. Quid ergo si fundum emi testator iusserit? Et eo casu puto nihil esse, quod haeredi imputetur.

## LXII. VLP I A N V S.

*In lege Falcidia hoc esse servandum IULIANVS ait, si duo rei promittendi fuerint, vel duo rei stipulandi: si quidem socii sint, in ea re dividi inter eos debere obligationem, atque si singuli partem pecuniae stipulati essent, vel promississent. Quod si societas inter eos nulla fuisset, in pendentem esse, in utrius bonis computari oporteat id, quod debetur, vel ex cuius bonis detrabi.*

## S V M M A R I V M.

*Si duo rei sunt stipulandi, cur in pendentem sit, in utrius hereditate computetur obligatio.*

**G**OVEANVS. Si duo rei sint stipulandi, in pendentem est, in utrius hereditate obligatio computetur. Nam inter eos locus praeventioni est, cum utrique solidum debeat, & petitione & acceptilatione unius tota solvatur obligatio. l. 2. de duob. reis stip. Quin novare alterum posse constat. l. si rem 31. §. si duo 1. de novat. quamvis unius pactum alteri non noceat. l. si unus

27. de pact. Neque obstat l. idem 6. de constit. pecu. Nam constitutio pro solutione est. d. l. idem. Idem ex contrario dicendum est de duobus reis promittendi. In pendentem namque est, utius patrimonium ea obligatio diminuat. Sane si socii sint, vel stipulandi, vel promittendi rei, inter eos dividetur obligatio propter iudicium societatis. Reos dici M. TVLLIVS scribit eos, quorum res est.

§. 1. Ait Iureconsult. Corpora si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem aestimanda erunt hoc est, secundum, praesens pretium: nec quicquam eorum formali pretio aestimandum esse sciendum est.

## S V M M A R I V M.

*Corpora hereditaria quomodo aestimanda?*



**G**OVEANVS. Vt quantitas patrimonii ineatur, aestimari corpora haereditaria necesse est. Nam pecunia non recipit aestimationem. *l. si ita 42. de fideius. l. 3. de in litem iur.* Aestimantur autem corpora haereditaria secundum *verum, iustum, & praesens pretium.* Haec namque pro eodem dicuntur, non secun-

dum pretium, quo aut empta res est, aut vendi posset, si coleretur diligenter. Hoc enim pretium *formale* appellari videtur, non satis tamen aperta nominis ratione. Idem pretium observandum est in venditionibus fiscalibus. *l. 3. §. Divi 5. de iur. fisci.*

## LXIII. P A V L V S.

*Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur. Nec enim qui filium naturalem possidet, tanto locupletior est, quod eum, si alius possideret, plurimo redempturus fuisset. Sed nec ille, qui filium alienum possidet, tantum habet, quanti eum patri vendere potest. Nec expectandum est, dum vendat: sed in praesentia non quasi filius alicuius, sed quasi homo aestimatur. Eadem causa est eius servi, qui noxam nocuit. Nec enim delinquendo quisquam pretiosior fit. Sed nec haereditatem post mortem testatoris institutum servum, tanto pluris esse, quanto pluris venire potest, PEDIUS scribit. Est enim absurdum, me ipsum haereditatem institutum non esse locupletiozem, antequam adeam: si autem servus haeres institutus sit, statim locupletiozem esse effectum: cum multis causis accidere possit, ne iussu nostro adeat: acquirit etenim nobis certe cum adierit. Est autem praeposterum, ante nos locupletes dici, quam acquisierimus.*

## S V M M A R I V M.

*Pretia rerum ex communi sunt hominum aestimatione statuenda.*

**G**OVEANVS. SEXTVS PEDIUS pretia rebus ex communi hominum aestimatione, non ex affectu, vel utilitate singulorum statuebat. *l. si servum 33. ad l. Aquil.* Itaque qui filium naturalem possideret, non esse censendum locupletiozem, quia si alius eum possideret, plurimo propter paternam affectionem, redempturus esset: sed neque illum, qui filium alienum naturalem possideret, tantum habere, quanti eum patri vendere posset, sed quanti cuius de populo: neque enim re vera tanti est, quanti eum pater aestimat: neque expectandum est dum a patre redimatur, neque enim cogitur redimere, sed in praesentia quasi homo aestimatur, non quasi filius alicuius. Eadem causa est eius servi, qui noxam nocuit: neque enim tanti aestimari debet, quanta noxa est, pro qua dedit potest. Nam pro quantavis noxa capitis vilissimi deditioe dominus liberatur, si modo insciente eo servus deliquerit. Absurdum namque fit,

servum delinquendo fieri pretiosiozem. Quine servus quidem post mortem testatoris haeres institutus tanti in *legis Falcidiae* ratione erit, quanti venire potest propter haereditatem delatam: quamvis in *lege Aquilia* secus sit, ubi id, quod interest, spectatur. Qui enim locupletior haeres intelligetur, servo haerede instituto, qui si ipse esset institutus, ante aditam haereditatem non esset locupletior? Nam & per servum haereditatem institutum non ante dominus acquirit, quam servus eius iussu haereditatem adeat. Multis autem modis accidere potest, ne servus nostro iussu adeat. Quid enim si ante moriatur? Quid si mihi haereditas suspecta sit? Quid si adire servus nolit? potest enim nolle. *l. cum proponas 3. de haered. instit. C.* adeo ut si metu verberum adeat, aditio nullius momenti sit. *l. qui in aliena 6. §. Celsus 7. de acquir. haered.* Neque enim solum servi factum, verum & acquirendi necessarius est animus ad hoc, ut per servum dominus acquirat.

§. 1. Ait Iureconsult. *Cuius debitor solvendo non est, tantum habet in bonis, quantum exigere potest.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. Nefennius 22. §. si debitori 3.* & plene exponitur a Iureconsult. in *l. quaerebatur 82. infra eod.*



§. 2. Ait Iureconsult. *Nonnullam tamen pretii varietatem loca, temporisque afferunt. Nec enim tantidem Romae ut in Hispania oleum aestimabitur: ne continuis sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus: cum hic quoque nec ex momentis temporum, nec ex ea, quae raro accidit, caritate, pretia constituentur.*

GOVEANVS. Hoc idem scribit Iureconsult. in l. ideoque 3. de eo, quod certo loco. Ait Iureconsult. *Cum hic quoque.*) legendum est, DVM HIC QVOQVE, & ita habent Pandectae Florentinorum.

## LXIV. V L P I A N V S.

*Si in testamento ita scriptum sit: Haeres meus Lucio Titio decem dare damnas esto: & quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei damnas esto; sententiae testatoris standum est.*

## S V M M A R I V M.

*Potest assequi testator, ut quaedam legata extra Falcidiam sint.*

GOVEANVS. Quamvis testator facere non possit, quo minus *lex Falcidia* in suo testamento locum habeat, illud tamen assequi potest, ut quaedam legata extra *Falcidiam* sint, & sine ulla diminutione praestentur: ut puta si ita scribat, HAERES MEVS LVCIO TITIO, X. DARE DAMNAS ESTO, & quanto minus per legem *Falcidiam* capere Titius poterit, tanto amplius ei haeres dato. l. qui quadringenta 88. infra eod. Quod si testator, qui quadringenta habebat, ducenta legavit Sempronio, & tibi similiter ducenta sub ea conditione, si *legi Falcidiae* in suo testamento locus non esset, exceptio *doli mali* Sempronio proderit, ne quid de suo legato diminuatur. De quo dicemus ad d. legem, qui quadringenta.

## LXV. P A V L V S.

*Si fundus legatus sit quinquaginta dignus, sub ea conditione, si quinquaginta haeredi dedisset: plerique putant utile esse legatum: quia conditionis implendae causa datur. Nam constat, etiam Falcidiam eum pati posse. Sed si quinquaginta aurei legati sint, si quinquaginta dedisset: dicendum est, inutile esse legatum, & magis ridiculum esse.*

GOVEANVS. De sententia legis huius diximus ad l. si dignum decem 19.

## LXVI. V L P I A N V S.

*Circa legem Falcidiam in eo, quod sub conditione, vel in diem alicui relictum est, hoc observandum est, si decem sub conditione alicui fuerint relicta eaque conditio post decennium forte extiterit, non videntur decem huic legata, sed minus decem: quia intervallum temporis & interusurium huius spatii minorem facit quantitatem decem.*

GOVEANVS. De sententia principii legis huius diximus ad legem, in lege *Falcidia* 45. & ad l. si propter 53. supra eod.

§. 1. Ait Iureconsult. *Sicuti legata non debentur, nisi deducto aere alieno aliquid supersit: sic nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmabuntur per aes alienum. Quare si immodicum aes alienum interveniat, ex re mortis causa sibi donata nihil aliud consequitur.*

GOVEANVS. Legata de bonis testatoris praestantur: bona autem intelliguntur deducto aere alieno. Quare si dimissis creditoribus nihil supersit, legata non debebuntur. Idem dicendum est de donationibus causa mortis, quamvis rerum donatarum possessio ad donatarios translata sit, nam donationes mortis causa legatis aequiparantur.



## LXVII. T E R E N T I V S.

Quoties cuidam amplius legatum est, quam ei capere licet, & lex Falcidia locum habet: prius Falcidiae ratio habenda est, scilicet, ut subducto eo, quod lex Falcidia exceperit, reliquum (si non excedat statutam legi portionem) debeatur.

## S V M M A R I V M.

Species huius legis ponenda est in eo, qui per legem Papiam solidum capere non poterat.

**G**OVEANVS. Lex haec desumpta ex lib. IV. Terentii Clementis ad l. Iuliam & Papiam, unde etiam desumpta est, l. si is, qui ex bonis 6, de vulg. & pupillar. Itaque utriusque legis species ponenda est in eo, qui per legem Papiam solidum capere non poterat, quemadmodum ad d. l. si is, qui ex bonis. & ad l. si in testamento 5. eo tit. scripsimus. Quod igitur Titio amplius legatum erat, quam ei capere per legem Iuliam liceret, Fisco applicabatur, reliquum legatario concedebatur. Ponamus igitur Titium quindecim capere potuisse, ei legata viginti quinque

ad Fisco pertinebant: nisi cum lex Falcidia interveniebat: eius enim interventu quindecim duntaxat legata intelliguntur: nam Falcidiae portio legis potestate in haereditate manet. Itaque Fisco nihil in eiusmodi legato iuris erat: si legatarius nihil capere poterat, totum Fisco acquirebatur, cum onere tamen Falcidiae. Utroque autem casu, si liberi aut parentes usque ad tertium gradum erant instituti, ius eis antiquum in caducis salvum erat, teste VLPIANO in ti. qui habeant ius antiq. in cad. & Imperatore in l. 1. §. & cum lex 1. de cad. tol.

## LXVIII. MAXIMVS ad legem Falcidiam.

## S V M M A R I V M.

Quomodo huius legis inscriptio legenda?

**G**OVEANVS. Inscriptio legis huius in Pandectis Florentinorum est, EMILIVS MACER LIB. II. AD LEGEM VICESIMAM HAEREDITATIVM. Ego legendum puto vicesimae. De vicesima haereditatum leges complures latae sunt. Prima fuit lex Papia, cuius

primo capite cavebatur, ut haereditatis extraneo relictae vicesima pars ad Fisco veniret. Haec lex emendata a NERVA, perfecta a TRIANO, & a M. PHILOSOPHO, sublata a GRATIANO est.

§. I. Ait Iureconsult. *Computationi in alimentis faciendae hanc formam inesse.* VLPIANVS scribit, ut a prima aetate usque ad annum XX. quantitas alimentorum triginta annorum computetur, eiusque quantitatis Falcidia praestetur. Ab annis vero XX. usque ad annum XXV. annorum XXVIII. Ab annis XXV. usque ad annos XXX. annorum XXV. Ab annis XXX. usque ad annos XXXV. annorum XXII. Ab annis XXXV. usque ad annos XL. annorum XX. Ab annis XL. usque ad annos L. annorum computatio fit, quot aetati eius ad annum sexagesimum deerunt, remisso anno uno. Ab anno vero L. usque ad annum LV. annorum IX. Ab annis LV. usque ad annum LX. annorum VII. Ab annis LX. (Cuiuscumque aetatis sit) annorum V.

## S V M M A R I V M.

Alimentis legatis, ubi apparet locum esse Falcidiae, quomodo faciendae sit computatio?





OVEANVS. Si alimenta legata sint, & propter alia legata a principio appareat, locum esse *legi Falcidiae*, necesse est aestimetur alimentorum legatum, ut sciri possit, quantum legatario debeat, & quae *Falcidiae* nomine facienda sit deductio. Aestimabitur autem facta annorum computatione ex aetate alimentarii. Quamobrem legati huius venditio non fiat, ut legati annui fit. *l. cum Titio 55. supra eod.* Ratio illa esse videtur, quia alimentorum nulla videtur posse fieri venditio: nec enim haeres alium alere compelli potest, quam cui relicta sunt alimenta ex aetate legatarii. Cuius computationis formam duplicem tradit MACER: veterem alteram, alteram recentiorem, & receptam usu. Ex vetere forma a prima aetate, usque ad annum xx. xx. annorum fiebat computatio, & de ea quantitate detrahebatur *Falcidia*, reliquum legatario praestabatur: facile enim ad eos annos pervenit, qui intra xx. annum est. Ab anno autem xx. usque ad an-

num xxv. annorum xxviii. Ab annis xxv. usque ad annos xxx. annorum xxv. Ab annis xxx. usque ad annos xxxv. annorum xxii. Ab annis xxxv. usque ad annos xl. annorum xx. Ab annis xl. usque ad annos l. tot annorum, quot aetati legatarii deerant ad annum lx. remisso uno anno, hoc est, anno uno non computato, eo scilicet, quem agebat legatarius. Ab anno vero l. usque ad annum lv. annorum novem. Ab annis lv. usque ad annum lx. annorum vii. Ab annis lx. cuiuscunque aetatis esset legatarius, annorum v. Cuius computationis nulla certa & perpetua ratio apparet, si modo codices mendosi non sunt: cum enim ab anno xx. usque ad annum xxv. annorum xxviii. fieret computatio, & de xxx. annis, qui a prima aetate usque ad annum xx. computabantur, duo demerentur, eadem ratio in caeteris aetatibus observanda videbatur. Sane ab annis xl. usque ad l. pauciores anni computantur, quia cum aetas in flexu consistit, celerius praecipitat.

§. 2. Ait Iureconsult. *Eoque nos iure uti VLPPIANVS ait, & circa computationem usufructus faciendam.*

### S V M M A R I V M.

*Locus hic aut de modico est intelligendus usufructu, aut pro usufructu, usus reponi debet.*

OVEANVS. Aut locus hic de modico usufructu intelligitur, qui in alimenta relinqui solet. *l. cum hi 8. §. si in singulos 23. de transac.* aut legendum est *VSVS*, non, *VSVSFRUCTVS*. Et vero in veteribus Codicibus breviter hoc modo scribi solet *VSVS*. cuius scripturae ultima litera a principio dictionis sequentis sumi potuit. Nam neque usus vendi potest, ad aliumque transferri. §. 1. & 2. *de usu & hab.* ut nisi ex annorum computatione legati non possit iniri aestimatio, neque sciri possit, quantum legatario

debeat, aut quae de legato facienda sit deductio. *Ususfructus* alia natura est. Nam & in eo uti corporibus *Falcidia* admittitur, & transferri ad alium potest. Alimenta & usus neque vendi possunt, neque diminutionem *legis Falcidiae* pati nisi aestimata. Quod enim usufructus interdum aestimatur, non eo fit, ut de aestimatione fiat deductio, sed ut sciatur, quantum legatarius in *Falcidiam* conferre debeat, de quo diximus ad *l. cum Titio 55.* aut ne legatum dodrantem excedat. §. *si ususf. 9. l. 1.*

§. 3. Ait Iureconsult. *Solitum est tamen a prima aetate usque ad annum xxx. computationem annorum xxx. fieri. Ab annis vero xxx. tot annorum computationem iniri, quot ad annum sexagesimum deesse videntur, nunquam ergo amplius, quam xxx. annorum computatio initur.*

OVEANVS. Explosa veterem computationis forma propter perplexitatem & varietatem, faciliorem usus computationem recepit: a prima scilicet aetate usque ad annum xxx. tot annorum, quod ad annum lx. defunt,

ad quam aetatem solent fere homines pervenire. Ab anno autem lx. quemadmodum fieri solita sit computatio, non tradit Iureconsultus. Sed ex veterem forma puto annos v. computandos.



§. 4. Ait Iureconsult. *Sic denique & si Reip. ususfructus legetur: sive simpliciter, sive ad ludos, xxx. annorum computatio fit.*

**GOVEANVS.** Quia Reipublic. relictus ususfructus annis centum durat, non tanti aestimatur in ratione *Falcidiae*, quanti vendi potest: nimio enim aestimaretur: sed computatio fiet annorum, quae in alimentis & usu homini legatis laxissima fieri solet, hoc est annorum xxx. de qua quantitate *Falcidia* detrahetur. Si vero annua dena Reipublic. legentur, aestimatio fiet, uti Iureconsultus docet in *l. 3. §. ult. supra eo.*

§. 5. Ait Iureconsult. *Si quis ex haeredibus rem propriam esse contendat, deinde haereditariam esse convincatur: quidam putant, eius quoque Falcidiam non posse retineri: quia nihil intersit, subtraxerit, an haereditariam esse negaverit, quod VLPIANVS recte probat.*

**GOVEANVS.** Res proprias haeredum legari posse scripsimus ad *l. 1. §. non solum 6.* & ad *l. pater 14. §. avia 1.* Verum interveniente *Falcidia*, quia non est, unde haeres suum recipiat, legatum non debetur. Neque cogendus haeres est beneficium legis cum re propria compensare. Haeredis & testatoris in ponenda ratione *legis Falcidiae* separari oportere patrimonia, multis iam locis demonstravimus. Ait Iureconsult. *Quia nihil intersit, subtraxerit, &c.)* In utraque igitur re *Falcidia* privabitur. De quo diximus ad *l. beneficio 59.*

LXIX. POMPONIVS Lib. v. ad Sabinum.

*Usufructu bonorum legato, aes alienum ex omnibus rebus deducendum est: quoniam post senatusconsultum nulla res est, quae non cadat in usumfructum legatum.*

S V M M A R I V M.

*Legatum ususfructus rerum cur plaris aestimandum, quam legatum ususfructus bonorum?*

**GOVEANVS.** Si quis rerum usumfructum leget, plus legat, & plaris legatum aestimari oportet, quam si bonorum usumfructum legasset. Bona enim, deducto aere alieno, intelliguntur: de rebus nulla fit deductio. *l. ult. de usufr. leg. l. subsignatum 39. §. bona 1. de verb. sig. l. mulier 72. de iure dot.* Deducetur autem aes alienum de iis etiam rebus, quae usu consumuntur. Quarum quendam veluti usumfructum Senatus constituit. Verum enim usumfructum earum rerum nulla omnino constitutio facere potuit, repugnante ususfructus natura.

LXX. VLPIANVS Lib. xvi. ad Sabinum.

*Falcidiae stipulatio statim committitur, ubi conditio legati vel debiti extitit.*

S V M M A R I V M.

*Praetoria stipulatio, Quanto amplius, cur necessaria?*

**GOVEANVS.** Propter legata conditionalia, vel libertates conditionales, vel aes alienum testatoris conditionale necessaria Praetoria stipulatio est. **QVANTO AMPLIVS.** Quae conditione eveniente statim committitur. Neque refert, a quo sit interposita stipulatio: nam & cohaeredi committitur interposita a cohaerede. *l. poenales 32. §. Iulianus 2. supra eo.* & a pupillo interposita, substituto committitur. *l. in ratione 11. §. si filio 6. supra eod. l. si is, qui quadringenta 80. infra eod.* Quamobrem autem Iureconsultus dixerit **STATIM COMMITTI**, non intelligo, neque temere tamen adiecta ea particula videtur.



## LXXI. PAVLVS Lib. xxxii. ad Edictum.

*Potest haeres in vendenda haereditate cavere, ut lege Falcidia interveniente solida legata praestentur: quia ea lex haeredis causa lata est: nec fraus ei fit, si ius suum deminuat haeres.*

## S V M M A R I V M.

*Haeres quando stipulari possit, ut solida ab emptore praestentur legata?*

**G**OVEANVS. Haeres in vendenda haereditate stipulari potest, ut legata solida praestentur ab emptore, quae aliter cum diminutione legis Falcidiae emptor praestitisset. Cum enim lex Falcidia haeredis causa lata sit, potest ipse haeres ius suum diminuere, stipulatione

praetermissa. Si haeres solida legata praestat, ab emptore solida non consequentur. Vendita enim haereditate sero suum ius haeres imminuat. In vendenda autem haereditate dixit Iureconsultus, quia post venditam haereditatem nulla lex emptori dici potuit.

## LXXII. CAIVS Lib. iii. de leg. ad Edict. Praetor. Urb.

*Quantitas patrimonii, deducto etiam eo, quicquid explicandarum venditionum causa impenditur, aestimatur.*

**G**OVEANVS. In ratione legis Falcidiae ponenda, non solum aes alienum deducitur, verum etiam quod explicandarum venditionum causa impensum est. Nam haec impen-

sa cum veterem causam habeant, non videntur de novo fieri. Venditionis autem nomine emptionem quoque significari idem CAIVS scribit in l. veteres 19. de act. empt. & vend.

## LXXIII. IDEM Lib. xviii. ad Edict. Provinc.

*In quantitate patrimonii exquirenda, visum est mortis tempus spectari. Qua de causa, si quis centum, &c.*

**G**OVEANVS. Ad l. in ratione 11. ostendimus, quamobrem in quantitate patrimonii exquirenda tempus mortis testatoris spectetur. Ait Iureconsult. *Vel etiam minus relinquatur, solida, &c.* De suo igitur praestabit haeres, quod testator legavit de suo intra modum legis

Falcidiae. De quo diximus ad l. in ratione 11. §. Quod vulgo 5.

Ait Iureconsult. *In partem legatorum pacisci.* Etiam ante aditam haereditatem, uti scripsimus ad l. 3. supra eod.

§. 1. Ait CAIVS: *Magna dubitatio fuit de iis, quorum conditio mortis tempore pendet: id est, an id, quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis annumeretur, &c.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius multis iam locis diximus.

§. 2. Ait CAIVS: *Sed & si legata quaedam pure, quaedam sub conditione relicta efficiant, ut existente conditione lex Falcidia, &c.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius multis iam locis diximus.

§. 3. Ait CAIVS: *In diem relicta legata alterius esse iuris, palam est: cum ea omnimodo tam ipsi legatario, quam haeredibus, &c.*

**G**OVEANVS. De sententia §. huius diximus ad l. in lege Falcidia 45. Testator, qui ducenta in bonis habet, si centum pure Titio leget, centum in diem Sempronio, vel sub con-

ditione, non intelligitur ducenta legasse. Fructus enim medii temporis detrahendus est, & haeredi in Falcidiam imputandus. De quo plura dicemus ad l. qui quadringenta 88. §. ulti. infra eod.

LXXIV.



LXXIV. IDEM Lib. III. de leg. ad Edict. Praetor. Urban.

*Quod autem dicitur, Si ex iudicio defuncti quartam habeat haeres, solida praestanda esse legata: ita accipere debemus, &c.*

## S V M M A R I V M.

*Quidquid iure hereditario capitur, non imputatur in Falcidiam.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. quod bonis* 15. §. ult. & ad *l. Nefennius* 22. Neque tamen quicquid iure hereditario capitur, utique in *Falcidiam* imputatur: nam bona pupilli substituto in quartam non imputantur. §. *quod vulgo cit.* Quid autem iure hereditario capi videatur, diximus ad *d. l. Nefennius*, &

dicemus ad *l. in quartam* 91. Quod si ea voluntas testatoris fuerit, ut legato contentus haeres, *Falcidiam* non detraheret. Praetor pro sua iurisdictione actionem *legati* haeredi denegabit, si *Falcidia* uti velit. Legato vero accepto, si *Falcidiam* nihilominus inducat, *doli* exceptione submovebitur.

LXXV. Ex Lib. XL. Digest. IULIANI MARCELLVS.

*Sed si ideo legatum ei datum est, ut integra legata vel fideicommissa praestet: deneganda erit actio legati, si lege Falcidia uti malit.*

LXXVI. IDEM Lib. III. de leg. ad Edict. Praetor. Urbani.

*Id autem, quod conditionis implendae causa, vel a cohaerede, vel a legatario, vel a statulibero datur, in Falcidia, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *Quod heres implendae conditionis causa capit, in Falcidiam non imputatur.*

2. *Statu liber quod conditionis implendae causa dat heredi, in Falcidiam imputatur.*

[1.] **G**OVEANVS. Quemadmodum quod haeres implendae conditionis causa legatario dat, per *Falcidiam* non minuitur, *l. 1. §. item 8. supra eod.* ita quoque si quid haeres ita capiat, in *Falcidiam* non imputatur: extrinsecus namque id capitur. Sane in restituenda fideicommissaria haereditate interdum imputatur, *l. in ratione* 2. §. *tametsi* 30. *supra* & *l. acceptis* 93. *infra eod.*

[2.] Ait Iureconsult. *Pro sua parte quadranti eius imputari debet.* Quod statuliber conditionis implendae causa uni ex haeredibus dat, in *Falcidiam* imputatur, & in petitionem haereditatis venit, & in fideicommissum cadit. *l. quod statuliber* 41. *de don. causa mort. l. etiam si* 13. §. & *quod Sabinus* 6. *de pet. haered.* De peculio autem dare intelligitur, quod statuliber donatum accepit & dedit, siue eius nomine ipso praesente alius dederit, *d. l. Quod statuliber.* Neque

obstat *l. quod conditionis* 36. *eo. titu.* cuius illa sententia est: qui ex causa legati solidum capere non potest, neque conditionis implendae causa capiet, quamvis de bonis testatoris non capiat. Itaque si haeres ita instituat, SI DECEM TITIO DEDERIT, non plus capiet Titius, quam illi per legem capere licet. Idem dicendum est, si statuliber conditionis implendae causa Titio decem dare iussus sit: si modo de eo det, quod in peculio habebat vivo testatore. Caeterum si post mortem testatoris, vel pro eo alius dederit, in modum legati *lege Julia* concessum id non imputabitur: ut neque id, quod a legatario haeres accipit, quia scilicet non proficiscatur de bonis testatoris. Eadem autem ratione quod de peculio dat statuliber conditionis causa in quartam imputatur, quamvis ex iudicio testatoris non capiatur, quae legata, quae resident apud haeredem, in quartam imputantur.



## LXXVII. IDEM Lib. VIII. ad Edictum Provinc.

*In singulis haeredibus rationem legis Falcidiae componendam esse, non dubitatur. Et ideo, si Titio & Seio haeredibus, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *In singulis heredibus cuiusque portionis habenda est ratio.*

2. *Non obstat l. 1. §. 3. tit. seq. quae explicatur.*  
3. *Et emendatur.*

[1.] **G**OVEANVS. Si haeredes ex certis partibus instituantur, potest vel unus *Falcidiam* inducere, quamvis cohaeres portionem integram habeat, & in ea quadrantem omnium bonorum testatoris. Ratio enim habetur, non totius patrimonii, sed cuiusque portionis. Quot enim portiones a testatore dividuntur, tot videntur esse constitutae haereditates. Quod si sine partibus instituti sint, omnes *Falcidiam* inducent, aut nemo. Neque solum id in institutis haeredibus, verum & in substitutis pupillo observatur *l. in ratione 11. §. si filio 6. supra eod.*

[2.] Neque obstat *l. 1. §. Marcellus 3. tit. sequ.* in qua Iureconsultus sic scribit. *Qui quadringenta in bonis habebat, impuberem filium haeredem instituit, eique substituit Titium & Seium. Si nihil a pupillo testator legavit, sed a Titio trecenta, utrum ducenta praestabuntur, an centum quinquaginta? Mibi videtur verius, non amplius eum parte sua erogare, certe nec minus. Locus perobscurus est: Sententiam, meo iudi-*

*cio, hanc habet. Docuerat Iureconsultus, propter legata secundarum tabularum a pupillo interponi stipulationem QVANTO AMPLIUS, &c. eamque committi haeredibus pupilli: in §. autem Marcellus docet, interdum interponi stipulationem ab ipsis substitutis oportere. Nam si a pupillo nihil legetur, non possit pupillus stipulari QVANTO AMPLIUS. Quare si alterius substituti portio exhausta sit, necessaria illi erit stipulatio in solvendis legatis a se relictis, quoad cohaeres non adit: quae stipulatio committetur ad eum cohaerede. Verum non interponetur nisi causa cognita. In causae autem cognitione versabitur an cohaeres adire possit. Idem namque MARCELLVS in *l. si tamen 25. de legat. II.* scribit, *si libertis fideicommissum relictum sit, & ex iis praesentes petant fideicommissum, causa cognita statuendum esse, & explorandum, an alii sint petaturi.**

[3.] In §. igitur *Marcellus.* quo in loco legitur *NON SOLI COMMITTITVR*, veteres Codices habent, *NON SOLVM.* & finem §. faciunt in illis verbis. *SED CAUSA COGNITA.* Quae vera lectio videtur.

## LXXVIII. IDEM Lib. III. ad Edict. Praet. Urbani.

*Quod si alterutro eorum deficiente, alter haeres solus extiterit, utrum perinde ratio legis Falcidiae habenda sit, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *Portio, quae integra accrescit, legata coheredis auget.*

2. *Quibus modis contingat, ut portio deficiat?*

3. *An coheres detrahat Trebellianicam, si coheredis, rogati restituere, portio ad eum veniat?*

[1.] **G**OVEANVS. De sententia huius legis multis locis scripsimus. Portio, quae accrescit, si integra accrescat, legata auget cohaeredis, quamvis iuris potestate accrescat, non voluntate testatoris. Nam & legata, quae remanent apud haeredem, efficiunt, ut caeteris legatis aut minus, aut nihil detrahatur, quamvis iudicio testatoris non remaneant. Quamob-

rem autem in *Falcidiam* imputentur, diximus ad *l. in ratione 11. supra eod.* Exhausta vero cohaeredis portio si accrescat, nihilo maiora legata praestantur: quamvis in ea ex persona cohaeredis ratio *legis Falcidiae* ponatur. Id enim demum, quod supra quadrantem pervenit, legata auget, *l. si pupillus 21. §. si ego 1. supra eod.*

[2.] Multis autem modis portionem deficere contingebat: nam & quae pro non scripta habebatur, deficiebat quidem, sed sine onere accrescebat. §. *in primo 3. de cad. toll. C.* Item quae



quae quasi caduca dicebatur, sine onere accrescebat. §. *pro secundo* 4. *de cad. toll.* Caducae autem portiones ad Fiscum devolvebantur. Repudiatae autem portiones cohaeredibus accrescebant, & quidem olim sine onere, sed ex D. SEVERI constitutione onera portionem sequi coeperunt. *l. si Titio* 61. §. *Iulianus* 1. *de leg. II.* Nam *l. Celsus* 29. §. *ulti eod. titu.* de portionibus caducis intelligenda est, in quibus filio ius antiquum *lex Papia* servabat, uti iam superius scripsimus. Hodie ex IUSTINIANI constitutione quocunque modo haereditatis portio deficiat, eam onera sequuntur. §. *iis ita definitis*

10. *de cadu. toll.* Quod in legato secus est. Quod enim pro non scripto habetur, sine onere remanet apud haeredem. *d. §. in primo.*

[3.] Quærit ACCURSIVS num cohaeres quartam detrahat, si cohaeredis rogati restituere portio ad eum redeat. Nam quum fideicommissio quasi substitutus obligetur ex dicta constitutione, in dubium non venit. Et distinguendum videtur: Si enim is, a quo portio defecta est, ius quartae retinendae amiserat, pone suspectam dixisse haereditatem, cohaeres, qui quasi substitutus fideicommissio tenetur, quartam non detrahet, *l. non iustam* 4. *C. ad Trebel.*

LXXIX. IDEM Lib. XVIII. ad Edict. Provinciale.

*In duplicibus testamentis, sive de patrimonio quaeramus, ea sola substantia spectatur, quam pater cum moreretur, &c.*

GOVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. in ratione* 11. §. *quod vulgo* 5.

LXXX. IDEM Lib. III. de leg. ad Edict. Praet. Urb.

*Si is, qui quadringenta in patrimonio habebat, a filio impubere haerede instituto ducenta legaverit, eique Titium & Seium, &c.*

GOVEANVS. De prima legis huius sententia diximus ad *l. in ratione* 11. §. *si filio* 6.

§. I. Ait CAIVS: *Quaedam legata divisionem non recipiunt. Vt ecce, legatum viae, itineris, actusve: ad nullum enim ea res, &c.*

GOVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. 1.* §. *si ususfructus* 9. & aliis locis comp. pluribus.

LXXXI. IDEM Lib. XVIII. ad Edict. Provinc.

*Si ususfructus legatus sit, venit in computationem legis Falcidiae: nam divisionem recipit: adeo, ut si, &c.*

GOVEANVS. De prima legis huius sententia diximus ad *l. 1.* §. *si ususfructus* 9. *supra eod.*

§. I. Ait CAIVS: *Dos legata extra rationem legis Falcidiae est: scilicet, quia suam rem mulier recipere videtur, &c.*

S V M M A R I V M.

*Dos legata & res mulieris causa emtae & paratae extra Falcidiam sunt.*

GOVEANVS. Dos praelegata ad legem Falcidiam revocatur, propter commodum repraesentationis. De quo diximus ad *l. cum dotem* 57. Dos autem legata extra Falcidiam est. Mulier enim nihil aliud, quam suum recipere videtur. Item mulieris causa emtae & paratae res, extra legem Falcidiam sunt: non quod ea-

rum donatio constiterit, uti ACCURSIO videtur, sed quia nominatim ipsa lege Falcidia expressum est, ut res istae extra modum legis Falcidiae essent. Hoc autem legatum ita debetur, si matrimonium constiterit usque ad mortem testatoris, *l. item* 49. *de lega. III.* Quae differentia inter *emptum* & *paratum* sit, scribit Iureconsultus in *l. si quid* 47. §. *ult. de leg. III.*



## LXXXII. VLPIANVS Lib. VIII. Disputationum.

*Quaerebatur, cum is, qui solum in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Seio autem, &c.*

## S V M M A R I V M.

*Species huius leg. proponitur & illustratur.*

**G**OVEANVS. Is, qui sola in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Seio autem quadringenta legavit, si quaeratur, quantum quisque habeat interventu legis Falcidiae, sic de ea re statuendum est, si debitor solvendo est, trecenta legatariis dabimus, centum haeredi. Si vero debitor centum duntaxat facere possit, centum inter haeredem & legatarium ita dividuntur, ut quadrantem haeredi demus, legatario septuaginta quinque. Debitor sibi centum quinquaginta compenset: Centum autem & quinquaginta, quae supersunt, vendantur, & eius pecuniae, quae redigi poterit, quarta pars haeredi detur, dodrans legatario. Quae distributio illam rationem habet, quia debitor, quod ad ipsum attinet, locuples esse

intelligitur. Et quamvis solvendo non sit, plenam tamen sentit liberationem, & id legatum caeteris contribuitur. *l. Nefennius 22. §. ulti. supra cod.* Idem dicendum, si mortis causa pacto debitum remissum sit, uti scripsimus ad *l. quod bonis 15.* Idem dicendum, si debitum mortis causa accepto latum sit, plenam namque sentit debitor liberationem. Quod si quadringenta tantum facere possit, in trecentis proficiet acceptilatio: Si autem tempore mortis aliquid praeterea sit, unde refici quarta haeredi possit, in quadringenta valebit acceptilatio. Itaque eius effectus pendebit, ut in *l. cum status 32. §. sin autem 10. de don inter vir. & ux.* Nam ipsa acceptilatio, cum actus legitimus sit, pendere non potest.

## LXXXIII. IVLIANVS Lib. XII. Digestorum.

*Si creditor filii tui haeredem te instituerit, & legis Falcidiae rationem ponas: peculii quantitas, quod aditae haereditatis tempore fuit, in quadrantem tibi imputabitur.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. cum quo de peculio 56. supra eod.*

## LXXXIV. IDEM Lib. XIII. Digestorum.

*Reperitur casus, quo haeres agere potest, quamvis testator agere non potuerit: veluti, si tutor, cum solveret, &c.*

## S V M M A R I V M.

*Quo casu possit experiri haeres actione, quam testator non habuit?*

**G**OVEANVS. Quamvis regulariter actio, quae mihi non competit, haeredi meo non detur, casus tamen reperitur, in quo experitur haeres actione, qua ipse non potuit experiri testator. Exempli causa: Legata relicta in primis tabulis propter legata secundarum tabularum praestare tutores pupilli debuerunt exacta

cautione. Ob quam praetermissam haeredes pupilli, hoc est, substituti, tutelae actione habent tutores obligatos. Ea tamen actione experiri non potuit pupillus, cum ante decimum quartum annum decesserit. Nam si post eam aetatem decedat, neque substituti admittuntur, neque legata secundarum tabularum debentur.



## LXXXV. IDEM Libro XVIII. Digestorum.

*Si dos focero data est, & solus filius haeres patri extitit: dotem confestim in computationem haereditatis, & Falcidiae rationem in aere alieno deducet, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *Vbi onera sunt matrimonii, dotem esse oportet.*

2. *Vltima leg. pars tentatur.*

[1.] **OVEANVS.** Vbi onera matrimonii sunt, ibi dotem esse oportet, *l. si is 56. §. 1. de iure dot.* Quare si focero dos data sit, & filius solus patri haeres existat, interveniente ratione legis Falcidiae dotem in reliquo aere alieno filius deducet, ne uxorem habeat indotatam, hoc est, ne dote spoliatus, onera tamen ferat matrimonii. Quod si filius cohaerem habeat, ipse quidem pro qua parte patri haeres erit, dotem cum reliquo aere alieno deducet. Item & cohaeres, qui iudicio familiae eriscundae partem dotis reddere filio compellitur, *l. si filia 20. §. 1. fam. erisc.*

Posteaquam autem dotis partem restituit, nihil eo nomine deducit, quasi nondum ipso iure actione de dote liberatus. Cautum enim habet *d. l. filia.*

[2.] Quod ait Iureconsultus. *Si filius extraneum habet cohaerem, non video quid inter sit habeatne fratrem cohaerem, an extraneum.* In quibusdam meis veteribus codicibus legitur **EXTRANEUM**. Nescio, an scripserit Iureconsultus **EX TESTAMENTO**. Nam duae hae dictiones eodem pene modo breviter scribuntur. Ita in *l. in ratione 11. §. quaesitum 7. supra eod.* In veteribus libris legitur **EX TESTAMENTO, PRO, EXTERO.**

## LXXXVI. IDEM Lib. XL. Digestorum.

*Titia testamento suo Titium fratrem suum ex parte tertia haerem instituit, fideique eius commisit, ut haereditatem retenta quarta parte Secundae & Proculae restitueret, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *Verba leg. ex Pand. Flor. legenda.*

2. *Praelegatum a legato ut differat?*

[1.] **OVEANVS.** Titia fratrem Titium ex parte tertia haerem instituit, fideique eius commisit, ut haereditatem, retenta quarta parte, Secundae & Proculae cohaeredibus restitueret. Eidem fratri quaedam praedia praelegavit. Quaesitum est, an Titius ea, quae praelegata erant, etiam pro ea parte haereditatis, quam rogatus esset restituere, integra retinere deberet? Ita enim habent Pandectae Florentinorum, **ETIAM PRO EA PARTE**. Nam de parte, quam Titius a cohaeredibus accipit, dubium non est, quin integra retineatur. De parte autem, quam a se ipse capit, merito dubitabatur. Videbatur enim in restitutionem venire, quemadmodum & pars legati haereditaria in fideicommissum cadit, *l. in fideicommissariam 18. §. ult. ad Treb.*

[2.] Verum alia causa praelegati est, alia legati. Praelegatum enim testator haerem praecipuum, ac praeter portionem haereditatis, habere vult: cuius si ulla pars restituere, contra voluntatem restituere testatoris. Ne-

que est existimandum, quicquid haeredi legatur, *praelegatum* appellari; legari enim haeredi aliter, quam per praeceptionem potest. *l. 1. §. si quis ex 5. Quod legator.* hoc modo, **TITIO HAEREDI FVNDVM LEGO**. Praelegat qui ita scribit, **PRAECIPITO HAERES MEVS, vel, PRAECIPVVM HABETO**, teste **CAIO lib. II. Instit. & VLPIANO in titu. de leg.** Integra igitur praedia etiam pro parte haereditatis, quam restituere rogatus est, Titius retinebit. Sed in quartam duodecimam praediorum partem imputabit. Qui si contra sententiam testatrix Falcidiam induxisset, totam portionem praelegati haereditariam in quartam imputasset. Hoc enim legato cum praelegato commune est. Dubitari autem potest, cum quarta ex sententia testatrix retineatur, quamobrem ulla praediorum pars in quartam imputetur. Et videtur pars illa duntaxat imputari, sine qua haereditatis quartam haeres non retineret. Itaque si duas quartas haerem retinere testatrix voluisset, duas item uncias Titio imputaremus.



## LXXXVII. IDEM Lib. LXI. Digestorum.

*Qui fundum solum in bonis centum relinquebat, si haeredem suum damnaverit, ut eum quinquaginta Titio venderet, &c.*

GOVEANVS. De sententia principii huius diximus ad *l. si dignum decem* 19. & *l. in ratione* 30. §. *vendere* 1. & *l. ad Veterani* 40.

§. 1. Ait IULIANVS: *Item si is, qui duos fundos centum in bonis habebat, me & Titium haeredes instituisset, &c.*

GOVEANVS. Qui duos fundos & Titium haeredes instituit: nosque invicem damnavit, ut uterque alteri alterum fundum aureis quinquaginta venderemus. Neuter quicquam accepisse a testatore videbatur: quia cum utriusque portio esset quinquaginta, dare quinquaginta uterque iussi sumus: atque ideo locus esse *legi Falcidiae*. Ve-

rum in contrarium IULIANVS respondit, neutrum *Falcidia* uti posse: nam & me in Seiano fundo partem dimidiam haereditario iure, non emptionis, & Titium in Corneliano item dimidiam eodem iure habere: In qua dimidia haereditatis portio esset. ACCVRSIVS ambos fundos dignos ducentis ponit: quae species nullam recipit dubitationem.

§. 2. Ait IULIANVS: *Si quis haeredem instituerit eum, cui rogatus fuerat post mortem suam centum restituere: centum, &c.*

GOVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. quod bonis* 15. §. *cum fideicommissum* 4. Dubitationis ratio illa erat, quod aeris huius alieni dies mortuo demum testatore cedit. Vti enim multis locis diximus, condi-

tionem habent verba haec, POST MORTEM TVAM DATO, RESTITVITO. Verum & aes alienum haereditatem minuit, cuius conditio post mortem testatoris existit. *l. in quantitate* 73. §. *magna* 1. *supra eodem*.

§. 3. Ait IULIANVS: *Si tu ex parte quarta, Titius ex parte quarta haeredes scripti fueritis, deinde tu ex parte, &c.*

GOVEANVS. Ego & Titius ex quadrantibus haeredes scripti, iuris potestate ex semilibus censetur instituti. Quod si ego praeterea ex parte dimidia instituar sub conditione, nihil ea conditio legata & libertates remorabitur: quae etiam deficiente, utraque valent. Nam existente conditione legati, quod communiter praestitimus, ego novem partes dedi, deficiente vero aequas uterque nostrum legati partes praestiterit, cum ex aequis partibus simus instituti.

Ait Iureconsult. *Legata item libertates datae fuerint.*) Pure. Id quod & ACCVRSIVS notavit.

Ait Iureconsult. *Quia sive conditio extiterit, te haerede existente.*) Mortuo enim me, sero existat conditio.

§. 4. Ait IULIANVS: *De lege Falcidia si hoc quaeras, an existente conditione misceatur quadrans tuus & semis, atque ita, &c.*

GOVEANVS. De sententia §. huius diximus ad *l. in ratione* 11. §. *quaesitum* 7. *supra eod.*

Quaerit ACCVRSIVS. Quomodo legata praestentur, cum incertum sit, quantum quisque praestare debeat? Et dicendum est, certa specie legata quaeri non oportere, quantum quisque praestet: verum ex post facto apparere, quantum quisque praestiterit: nam praestari omnino necesse fuit. Idem dici potest de quantitate legata. Pone legata centum: ea communiter praestabuntur: existente deinde conditione ex post facto intelligitur, ex iis centum septuaginta quinque ab eo praestita, qui eveniente conditione ex dodrante reperitur institutus, ab altero vero sola viginti quinque. Itaque revocari legata non oportet, ut quisque pro sua parte ea praestet.



§. 5. Ait IULIANVS: *Qui filium suum impuberem, & Titium aequis partibus haeredes instituerat, a filio totum semissem, &c.*

GOVEANVS. De sententia §. huius scripsimus ad l. 1. §. *id quod natura* 13. & ad l. *in ratione* 11. §. *quaesitum* 7. *supra eod.*

§. 6. Ait IULIANVS: *Qui filios duos impuberes habebat alterum haeredem instituit, alterum exhaeredavit: deinde, &c.*

S V M M A R I V M.

1. *Legata relicta ab exheredato, qui fratri substitutus est, eique heres existit, quomodo praestanda?*

2. *An pater, si exheredato legatum dederit, ab eo possit legare?*

[1.] GOVEANVS. Quanquam a substituto exhaeredati legare non possis, tamen si exhaeredatum fratri instituto substituiti, isque fratri ex substitutione haeres existat, & impubes moriatur, quem exhaeredato dedisti substitutum legata a se relicta praestabit, habita ratione bonorum duntaxat, quae testator moriens reliquit: neque legatariis proderunt propria pupilli bona. Neque movet, quod & si pater exhaeredato aliquid leget, eius tamen substitutum non oneret: a substituto namque haeredis non legatarii relinquenda legata sunt.

Quin & si ad exhaeredatum fratris successio perveniat, aliter quam per causam institutionis, nihilo magis a substituto legata relinquuntur, quemadmodum neque ab ipso exhaeredato. De quo scripsimus ad l. 1. *de vulg. & pup. subst.* & ad l. *cohaeredi* 41. §. *cum filiae* 2. *eo. tit.*

[2.] Quaero, si exhaeredato filio legatum pater dederit, possitne ab eo legare? ACCURSIVS posse putat: Ego fideicommittere posse puto, *d. §. cum filiae.* non legare. Sane a substituto ne eo quidem casu relinqui fideicommissum potest. *l. cum quidam* 24. *C. de lega.*

§. 7. Ait IULIANVS: *Cohaeres pupillo datus si pro parte sua legata, habita legis Falcidiae ratione, praestiterit: deinde impubere, &c.*

S V M M A R I V M.

1. *Quae h. l. species?*

2. *Quomodo legata pupilli legatis relicta ab extero herede confundantur?*

3. *Cur mortuo pupillo Filius in eius portione Fal-*

*cidiam non inducat, sine nova legatorum omnium confusione?*

4. *Substitutus rationem leg. Falcidiae ponit ex quantitate bonorum, quae pater reliquit.*

[1.] GOVEANVS. Titium filio impuberi pater dedit cohaeredem, eundemque impuberi substituit: utriusque portionem legatis exhaustit. Titius in sua portione rationem legis Falcidiae posuit. Mortuo impubere legatis non solutis, rursus ratio legis ponenda erit, ut contributis Titii & pupilli legatis, Titius quartam bonorum partem habeat. Licet enim pupillo Titius ex substitutione haeres existat, tamen sublata persona pupilli, ex utroque semisse creditur in primis tabulis institutus. *l. in ratione* 11. §. *si filio* 6. *supra eod.* ac per consequens, remanere apud eum oportet quadrantem omnium bonorum. Duo in specie haec quaeri possunt: alterum, Quemadmodum lega-

ta pupilli legatis relicta ab extero cohaerede confundantur? Alterum, Quomobrem mortuo pupillo in eius portione Falcidiam non inducat Titius sine ista nova legatorum omnium confusione? cum enim suae portionis quartam habeat, retenta nunc quarta de pupilli portione, quadrantem omnium bonorum habiturum.

[2.] Ad prius respondeo, Quod vulgo dicitur, *legatorum rationem separandam*, eo pertinet, ut quamvis exterus cohaeres portionem integram habeat, & in ea quadrantem omnium bonorum, in portione tamen pupilli rationem Falcidiae ponat, si modo pupillus patri haeres extiterit, *d. l. in ratione.* §. *quaesitum* 7. iuncto §. *qui filium* 4. *l. huius qui fundum* 87. At in proposito exteri cohaeredis portio exhausta proponitur.



[3.] Ad secundum respondeo, captiosum esse Titio, si quis eum velit quadrante eorum bonorum, quae a pupillo accepit, esse contentum. Quid enim si quinquaginta a testatore accepta usque ad viginti imminuit pupillus? Quorum quadrantem, quinque scilicet, si cum quadrante portionis Titii coniungas, qui est duodecim & semis, non efficies quadrantem omnium bonorum, qui est viginti quinque. De integro igitur ratio ponenda erit, ut de viginti, quae ad substitutum pervenerunt, ei duodecim & semissem relinquas: reliqua septem & semissem legatariis concedas. Nec ad rem pertinet, quod damna post testatoris mortem contingentia ad legatarios non pertinent *d. §. quod vulgo & l. in quantitate 73. supra eod.* Nam in proposito idem substitutus est & cohaeres: qui sublata pupilli persona ex assē primis tabulis intelligitur

institutus: atque ideo quartam ei omnium bonorum testatoris relinqui necesse est, quasi ipsi patri ex secundis tabulis non pupillo successerit.

[4.] Ait Iureconsult. *Nec aliter augebuntur, &c.* Si extranei haeredis semis totus legatus fuerit, isque pupillo, a quo nihil legatum erat, ex substitutione haeres extiterit, augeatur legata, ac si cuilibet vulgari modo fuisset substitutus, eoque omittente ex assē haeres extitisset. Quia semper substitutus rationem *legis Falcidiae* ex quantitate bonorum, quae pater reliquerit, ponit *§. quod si supra 6. hac eadem lege.* Pupilli autem, si patri semel haeres extiterit, legata non augebuntur, quamvis cohaeredis eiusdemque substituti portio integra sit. *§. qui filium 4. supra hac eadem lege.* Si vero haeres non extiterit pupillus, ita ratio ponetur, quasi ex assē ab initio exterus haeres esset institutus.

### LXXXVIII. APHRICANVS Lib. v. Quaestionum.

*Qui quadringenta habebat, trecenta legavit: deinde fundum tibi dignum centum aureis sub hac conditione legavit, si legi Falcidiae in testamento suo locus non esset: Quaeritur, &c.*

### S V M M A R I V M.

*Quae perplexae h. l. quaestionis censeatur sententia & vera lectio?*

**G**OVEANVS. Qui quadringenta in bonis habebat, trecenta Titio legavit, deinde tibi fundum dignum centum hac conditione, si legi *Falcidiae* in suo testamento locus non esset. Perplexa & inexplicabilis quaestio est. Graeci ἀπορον vocant, quia exitum non habeat, autore *GELLIO lib. ix.* Si enim legi *Falcidiae* locus est, uti sane est, fundus non debetur: rursus si fundum deberi neges, locus legi *Falcidiae* non erit, ac proinde fundus debebitur. Cum autem ea testator fuerit voluntate, ut propter tuum legatum caeterorum legata diminui noluerit, magis est, ut tui legati conditio defecisse videatur: neque enim tibi praestari fundus salva haeredi *Falcidia* potest, quin caeterorum legata minuantur. Quod si testator ducenta Titio legavit, & tibi item ducenta sub eadem conditione, si legi *Falcidiae* in suo testamento locus non esset, ducenta ex voluntate testatoris Titio praestabuntur, de ducentis tibi legatis tu centum, haeres centum auferet. Ita enim per *doli mali* exceptionem res temperabitur, ut voluntatem testatoris conservemus salva lege *Falcidia*. Prima enim ratione facile quis dicat, aut tota ducenta, aut nihil tibi deberi, quia conditio non possit nisi in so-

lidum vel existere, vel deficere. Si igitur velis Titium solida ducenta consequi, sic scribes, si *QVID AMPLIUS TITIO LEGAVI, QVAM PER LEGEM FALCIDIAM LICEBIT, TVNC QVANTVM AD SVPPLENDVM QVADRANTEM DEDVCI OPORTET EX EO LEGATO QVOD TITIO DEDI, HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE.* Nam quo minus de Titii legato *Falcidia* detrahatur, prohibere non potes, cum *Falcidia* peraeque legata omnia afficiat: rursus iubere non potes, ut ego plenam *Falcidiam* haeredi faciam, cum sim legatarius, neque de manu legatarii capere debeat haeres eam portionem. Superest igitur, ut ita scribas, quemadmodum diximus. *Haeres autem, quod Titio lex adimit, de meo sarciet legato.* Eadem sententia est *l. si in testamento 64. supra eo.* In contextu quidam ἀσύζαλος reposuerunt. Pandectae Florentinorum habent τῶν ἀπόρων: quae vera lectio est. Itaque a me hunc locum emendatum ante editas Florentinorum Pandectas sero nunc glorier. *ΑΛΚΙΑΤΥΣ τῶν ἀκρων* reposuit infeliciter. *Ψευδόμενον συλλογισμόν* Cicero mentientem rationem interpretatur *lib. ii. de divinatione, & aliis locis.*



§. 1. Ait APHRICANVS: *Qui ducenta in bonis relinquebat, legavit mihi centum praesenti die: tibi aequae centum sub conditione, &c.*

## S V M M A R I V M.

*Quaenam sit huius legis sententia?*

**G**OVEANVS. Qui ducenta in bonis moriens reliquerat, mihi praesenti die centum, tibi item sub conditione centum legavit. Ego solida centum consequor, praestita cautione *Quanto amplius*, propter tuum legatum conditionale. Pendente conditione ex reditu eius summae, quae tibi legata erat, haeres viginti quinque percepit. Quae cum illi in *Falcidiam* imputentur, *l. in quantitate 73. §. in diem 4. l. quod bonis 15. §. fructus praediorum 6. l. sed si non servus 36. §. ult. supra eod.* viginti quinque illi duntaxat conferemus, ut quinquaginta habeat, quadrantem ipsorum ducentorum. Quin & fructus huius quadrantis ei oportet conferamus a morte testatoris, non ex quo extitit conditio *d. §. fructus praediorum*. Fructus autem ii sunt quinque: Triginta igitur haeredi sunt conferenda, non aequaliter ab utroque nostrum quina dena, sed triginta in partes septem divisas, ego quatuor partes conferam septendecim cum una septima, tu tres, hoc est, duodecim cum sex septimis: meum namque legatum amplius quarta parte est, quam tuum: Quamvis enim tibi quoque legata sint centum, & eveniente conditione centum accipias, meum tamen legatum tanto uberius est, quam tuum, quantum haeres ex fructibus tui percepit. Sic igitur conferemus,

quasi ego centum, tu septuaginta quinque accepisses. Quo casu ego quarta amplius parte, quam tu, in *Falcidiam* conferrem. Quaero, quamobrem, eveniente conditione, non ita ratio *Falcidiae* ponitur, ut de meo legato quadrans detrahatur, cum tui legati quadrantem fructus medii temporis faciant? Et dicendum est, tum demum ita rationem *Falcidiae* posse poni, ut de omnibus legatis quarta portio detrahatur, cum haeredi nihil relictum est: at in proposito viginti quinque haeredi relicta intelliguntur de ducentis. Quo casu si quartam cuiusque legati haeres retineat, multo amplius quarta habebit. Esto patrimonium ducenta, legata mihi sunt centum, tibi septuaginta quinque: si me quartam portionem legati mei conferre oportet, & te item quartam tui, habebit haeres amplius septuaginta septem, cui duntaxat debentur quinquaginta. Quaero, cum fructus de portione tua percipiantur, & quadrantem portionis tuae efficiant, quamobrem conferre etiam in *Falcidiam* cogaris? Et verius est, portioni quidem acceptos fructus ferri, verum propterea de tua portione nihil diminui. Quaero, cum ex reditu summae tibi legatae fructus percipiantur, quamobrem etiam mihi profint? Respondeo, pendente conditione summam adhuc tuam non esse, sed haereditariam.

## LXXXIX. MARTIANVS Lib. VII. Institutionum.

DIVI SEVERVS & ANTONINVS *rescripserunt, pecuniam relictam ad alimenta puerorum, legi Falcidiae subiectam esse, &c.*

## S V M M A R I V M.

*In alimentis legatis quo anno puerorum & puellarum aetas definita?*

**G**OVEANVS. Si unus ex haeredibus voluntate testatoris sortem alimentis puerorum destinatum percipiat, *Falcidiam* patietur: legatarius enim videtur, cum neque caveat ex persona deficientium puerorum sortem restitui,

neque adversus eum indebiti actio competat, pueris mortuis *l. pecuniae 8. de alim. & cib. leg.* Puerorum aetas & puellarum in alimentis legatis decimo octavo & decimo quarto annis finitur. *l. Mela 14. eod. titu.*

§. 1. Ait MARTIANVS: DIVI SEVERVS & ANTONINVS *generaliter rescripserunt BONONIO MAXIMO, usuras praestaturum eum, qui, &c.*



## S V M M A R I V M.

1. Usurae legatorum & fideicommissorum ex mora debentur.
2. Quod commune habent cum iudiciis b. f.
3. Secus autem est in iudicio stricti iuris.
4. Nec refert, apposita dies sit stipulationi nec ne.
5. Quid in contractibus stricti iuris operetur mora?

[1.] **G**OVEANVS. Legatorum & fideicommissorum usurae ex mora debentur, *l. si quis seruo* 84. *l. Titia* 87. §. *usuras* 1. *de leg. ii. l. i. §. bellissime* 13. quemadmodum. *legat. nom. caveat. l. si cui* 92. *de condi. & demon. l. 2. in quib. cau. non est necess. in integ. rest. C.* Idem scribit IULIVS PAVLVS in *Tit. ad leg. Falc. lib. iii. Senten. receptar.* quo loco addit, *moram fieri videri, cum postulanti non datur.* Idem scribit PAPINIIVS in *l. qui solidum* 78. *de leg. ii. facit. l. Nulla* 88. *de reg. iuris.* Quod ita accipiendum est, si loco idoneo petitum sit, *l. mora. de usur.*

[2.] Et hoc commune habent legata & fideicommissa cum iudiciis bonae fidei, in quibus ex mora veniunt usurae, idque iudicis officio, quod tantundem valet in his actionibus, quantum in iudiciis stricti iuris usurarum expressa obligatio *l. quia tantundem* 7. *de neg. gesto.*

[3.] Itaque si iudicio stricti iuris pecuniam petas, nunquam in usuras condemnabis, ne post litem quidem contestatam *l. eum, qui* 22. *de don.* Aliud in fructibus iuris est, qui ex lite contestata debentur, etiam si in personam actum sit, *l. vulgo* 2. *de usur. l. quaesitum* 91. §. *ult. de leg. i.* Ratio differentiae illa est, quod fructus rebus ipsis accepti feruntur, *l. in fideicom-*

*missariam* 18. *ad Treb.* Pecunia autem pecuniam non parit: ideoque usura, nisi deducta in obligationem, non debetur, cum stricto iure agimus.

[4.] Neque refert, apposita dies sit stipulationi, an non. Quamvis enim Calendis solvere promittam, tamen post Calendas usuras non debebo: mea enim causa dies apposita est, atque ideo mihi obesse non debet. Quod si tua interesse putas, tibi ad diem pecuniam solvi, stipulari poenam potes: quae stipulatio adveniente die statim committetur, *l. magnam* 12. *C. de contrah. & com. stip.*

[5.] Sane in contractibus stricti iuris illud mora operatur, ut res periculo morosi pereat, *l. si ex legati causa* 23. *de verb. oblig.* verum moram facere non intelligitur, vel iudicium suscipere paratus. *l. si quis solutioni* 24. *de usur. l. paratum* 47. *eod. tit.* vel qui ex causa differt solutionem, *l. sciendum* 21. *eod. tit.* Si tamen frustrationis causa iudicium suscepisse comperiat, ex DIVORVM SEVERI & ANTONINI constitutione in usuras damnabitur. Quod igitur Imperator in *tit. de usur. & fruct. legat.* scribit, *post litem contestatam usuras & fructus legatorum deberi*, ita accipi oportet, si mora non praecesserit, hoc est, si haeres iudicium suscipere paratus fuerat.

## XC. FLORENTINVS Lib. XI. Institutionum.

*Si haeres, cuius fideicommissum est, ut accepta certa pecunia, haereditatem restituat, a voluntate eius, qui, &c.*

## S V M M A R I V M.

*Heres, accepta certa pecunia, rogatus restituere hereditatem, ad restitutionem omnino cogitur.*

**G**OVEANVS. Si haeres, accepta certa pecunia, haereditatem restituere rogatus, *lege Falcidia* uti malit, iure id quidem faciet, verum fideicommissum restituere cogetur, etiam non accepta pecunia. Neque ei proderit, quod ea pecunia conditionis implendae causa detur, cui ante, quam pareatur, non videatur haeres teneri ad restitutionem: Ita enim conditionis causa datur, ut commodum *Falcidiae* praestet, &

in *Falcidiam* imputetur. *l. in quartam* 91. *l. acceptis* 93. *infra eod.* Itaque dolo haeres faciat, si & *Falcidiam* inducere velit, & id insuper accipere, quod *Falcidiae* commodum praestat. Neque referre putem, designata sit persona dantis, an non: de quo dicemus ad *l. in quartam* 91. Sane si figura conditionis expressa sit, utrumque haeres consequetur. *l. in ratione* 30. §. *tamet si autem* 7. *supra eod.*



## XCI. MARTIANVS Lib. XIII. Institutionum.


*In quartam haereditatis, quam per legem Falcidiam haeres habere debet, imputantur res, quas iure haereditario, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. *In quartam leg. Falc. neque legata, nec fideicommiss. imputantur nec ea, quae heredi implendae conditionis causa data sunt.*
2. *In fideicommiss. hereditate restituenda quae imputentur?*
3. *Imputatur etiam tota pecunia, quae quasi*

*retenta intelligitur.*

4. *Et pecunia, quae implendae conditionis causa extrinsecus accipitur.*
5. *Quidquid conditionis implendae causa legatarius heredi dat, non imputatur.*
6. *Vera h. l. lectio ex Pand. Flor. eruta.*

[1.]  OVEANVS. Lex haec sententiis quinque continetur. Prima est: In quartam, quae per legem Falcidiam retinetur, neque legata, neque fideicommissa imputantur, neque ea, quae haeredi implendae conditionis causa dantur. Secunda, In fideicommissaria haereditate restituenda legatorum, & fideicommissorum, & retentionum portiones eae, quae haereditario iure capiuntur, imputantur: Portiones vero, quae capiuntur a cohaeredibus, extra quartam sunt. Tertia: sed & pecunia, quae quasi retenta intelligitur, tota imputatur. Quarta, sed & quae extrinsecus conditionis implendae causa accipitur, demonstrata dantis persona, in eadem causa est. Quinta, & postrema: In quartam legis Falcidiae quicquid conditionis implendae causa haeredi legatarius dat, non imputatur. De singulis iis sententiis suo ordine consideremus.

Legata igitur & fideicommissa in Falcidiam non imputari, sic accipiendum est, ut totum legatum, & totum fideicommissum extra Falcidiam sit, ac si cum de Falcidia quaeritur, nulla legati pars iure haereditario capiatur. Quam sententiam elicit favor haeredis illo iuris colore nixus, quod etiam repudiata haereditate haeres totum legatum consequatur, *l. & quidem totum 18. de leg. 1. facit l. quaesitum 91. §. duobus 18. eo. tit. l. eum, qui 18. §. pro parte 2. de iis, quib. ut indig.* Eadem ratio facit, ut filius ex parte institutus paterna haereditate abstinens, nummos a statulibero accipiendo non videatur gerere pro haerede. *l. pro haerede 20. §. Papinianus 4. de acqui. haered.* Quod multo magis admittendum est in praelegato, cuius ea natura est, ut id haeres praecipuum habeat. Neque movet, quod nummi peculiares, quos statuliber haeredi dat conditionis implendae causa, in quartam imputentur. *l. id autem 76. supra eod.* Neque enim ullum titulum habet ea capio. Idem dicendum de donationibus causa mortis, quae legatis aequiparantur. Sane si a singulis haeredibus invicem legata relinquuntur, compensa-

tionem locus erit. *l. Nefennius 22. supra eod. l. filio & filiae 94. infra eod.* Quod si testator eo animo haeredi legatum relinquat, ut cum legatariis Falcidiae rationem non ponat, inducere Falcidiam volenti legati petitio denegabitur. *l. quod autem dicitur 74. supra eod.* Quod autem conditionis implendae causa haeredi datur a legatario, figura etiam conditionis non expressa, totum extra quartam est, *l. in ratione 30. §. tametsi autem 7. supra eo.* Alia causa est eius, quod statuliber conditionis implendae causa haeredi dat. Id enim pro portione haereditaria in quartam imputatur. De quo diximus ad *l. id autem 76. supra eod.* Quod pretii nomine haeres capit, in quartam constat imputari, cum pretium loco rei succedat. De quo diximus ad *l. si dignum decem 19. supra eod.*

[2.] Secunda sententia erat: haeredem ex parte institutum haereditatem restituere rogatum, in quartam, cuius ex Senatusconsulto retentionem habet, partem legati & fideicommissi, quam a se capit, imputari: Puto, quod ea pars in fideicommissum & restitutionem veniat. *l. in fideicommissariam 18. §. ult. ad Treb.* Sic enim is locus intelligi debet, non quomodo ab ACCURSIO & AZONE exponitur. Itaque nihil est, quod haeres queratur, si in quartam ei imputetur ea portio, quam erat restitutus, si Senatusconsulti beneficium non implorasset. Quaerat aliquis, quamobrem ergo cum nulla praelegati pars in fideicommissum veniat, uti ostendimus ad *l. Titia 86. supra eod.* Tamen praelegati ea portio, quae iure haereditario capitur, in quartam imputetur, *d. l. Titia*, nisi in casu eius legis? Verum facilis responsio est: totum praelegatum praecipuum haeredem ferre non oportere, si contra voluntatem testatoris Falcidiam inducat. Quod si faciat, quasi legatum duntaxat accepisset, non praelegatum, ita praelegati portionem in quartam ei imputari aequum esse. Si de voluntate testatoris quartam haeres retineat, quid iuris sit, diximus ad *d. l. Titia*. In eadem causa sunt retentionum haereditariae portiones: Nam quae capiuntur a cohaeredibus, extra quartam erunt. Distinguendum tamen est: vel enim extraneo rogatur haeres



res ex parte institutus restituere, vel cohaeredi: nam ex asse institutus non est dubium, quin in quartam imputer, quod retinet. Si retento fundo extraneo restituere rogetur, portionem fundi, quam a se capit, in quartam imputat: quam vero capit a cohaerede, lucratur, eamque consequitur iudicio familiae erciscundae. *l. cum pater 77. in princip. de leg. II. l. si ita 42. famil. ercisc.* si vero cohaeredi restituere rogetur retento fundo, non solum haereditaria portio in quartam ei imputatur, sed & portio, quam a cohaerede, in eo fundo capit, compensatur, si quid ad quartam deest, suppletur: & quod in fundo plus est, quam in quarta, iudicio familiae erciscundae cohaeredibus restituitur. Quae sententia est *l. filium, quem habentem 24. famil. ercisc. C.* in qua fundus neque praelegatur, neque per fideicommissum relinquitur, sed retineri iubetur. Sic enim verba illa intelligenda sunt, *FILIVM QVEM HABENTEM FVNDVM*, hoc est, *filium, quem percepto, deducto, & retento fundo*, sive, quod idem est, *accepto de haereditate fundo, &c. d. l. cum pater.* Iussum autem retinere legatarium non esse ex eo intelligimus, quod & ex asse haeres institutus iubetur retinere, cum autem nemo dixerit legatarium. Tum vero ex parte institutus iussum fundum retinere, portionem, quam in eo fundo iure haereditario quaesitam habet, iure legati acquirere amplius non potest. Sane si pecunia iubeatur retineri, tota in quartam imputatur, quia pecuniae ea natura est, ut intelligi possit tota ex portione retenta, ita ut nulla eius pars capi a cohaerede videatur. *l. deducta 58. §. numis 3. ad Trebel. d. l. cum pater. de legat. II.*

[3.] Tertia sententia est: Non solum retenta pecunia in quartam imputatur, verum & qua accepta haereditatem restituere haeres rogatur: Quamvis enim ea vis verbi sit, ut datam extrinsecus pecuniam significare videatur, tamen cum dantis persona non designatur, quasi reten-

ta intelligitur ex *D. PII* constitutione. *l. acceptis 93. infra eod. & d. §. numis. ad Trebel.*

[4.] Quarta sententia est, non solum pecunia, quae quasi retenta intelligitur, verum & quae accipi a certo homine iubetur, quae mortis causa accipitur, *d. l. acceptis.* in fideicommissaria haereditate restituenda imputatur, quasi pro pretio haereditatis data, si modo figura conditionis expressa non sit. *d. §. tametsi autem.* De quo diximus ad *legem proximam superiorem.* Idem dicendum puto, si accepto fundo a Maevio, haereditatem Maevio rogatus sit restituere propter similitudinem permutationis & emptio- nis *l. 2. de rer. permut.* ut fundus hic quodammodo pro pretio sit, quasi facta inter haereditatem & Maevium permutatione: quae omnia favore fideicommissarii introducta sunt.

[5.] Maior haeredis, quam legatarii favor est: itaque haeredi nihil eorum quae a legatariis capit, in quartam imputatur, quacunque orationis figura usus sit testator. Quae ultima est sententia *l. huius.* Quod a statulibero capit, in alia causa est, uti iam scripsimus.

[6.] In Pandectis Florent. lex haec locis duobus asterisco notatur. Priorem sic legendum puto, *NON PRO EA PARTE, QVAM A COHAEREDe ACCIPIT: EXTRA QVARTAM ENIM EST, QVOD A COHAEREDe ACCIPITVR.* In codicibus manu scriptis articulus *VERO* hac nota scribitur *n̄.* quae propemodum nota est articuli *NON.* Alterum locum sic lego, *SED ET QVOD IMPLENDAE CONDITIO- NIS FIDEICOMMISSI CAUSA HAEREDI DATVR.* Nam in exemplaribus manu scriptis breviter semper scribitur *FIDEIC.* ut nescias, qui casus ea nota designetur, & dictionum transpositio passim in nostris libris occurrit: ut in *l. Senatuscons. 8. §. si filiusfa. 1. ad S. C. Syllan. in l. peto 69. §. mater 2. de legat. II. in l. qui quadringenta 88. in fine 1. respons. supra eod. in l. recusare 6. §. meminisse 1. ad Treb. & locis aliis innumerabilibus.*

## XCII. MACER de iure militari.

*Si miles testamento facto partem dimidiam haereditatis suae tibi restitui iusserit, deinde post missionem factis, &c.*

**G**OVEANVS. De sententia legis huius diximus ad *l. si post missionem 17. supra eodem.*


## XCI. PAPIANVS Lib. XX. Quaestionum.

*Acceptis a Maevio centum, haereditatem Maevio restituere, pecuniamque post mortem suam Titio dare rogatus est, &c.*

## S V M M A R I V M.

1. Quomodo, quod heredi conditionis implendae causa a legatario datur, in fideicommissum deduci possit?
2. An in proposito casu duplex obtineat fideicommissum?
3. Quando Scto Trebelliano locus sit?



[1.]  OVEANVS. Quod MAE-  
TIANVS in l. in quartam 91.  
seribit, conditionis causa a fi-  
deicommissario acceptum, hae-  
redi in Falcidiam imputari,  
tum demum vere dicitur, cum quod accipitur,  
apud haeredem remanet. Si enim id haeres  
Sempronio restituere rogetur, *Pegasianum* in-  
ducer, partemque haereditatis quartam retine-  
bit. Idem dicendum est, si post mortem resti-  
tuere rogetur, quod a fideicommissario accepe-  
rit. Verum eo casu si ante haeredem Sempro-  
nius decedat, nulla haeredi retentio competit.  
Quod enim a Maevio accepit, apud eum re-  
manet, decedente ante fideicommissi diem fi-  
deicommissario. De quo diximus ad l. *Paulus*  
*supra eod.* Neque mirum videri debet, quod  
haeredi conditionis implendae causa a fideicom-  
missario datur, in fideicommissum deduci:  
Quamvis ab eo, cui neque legatum, neque  
fideicommissum, neque mortis causa donationem,  
neque haereditatem dedimus, per fideicommis-  
sum relinqui nihil possit. l. ab eo 9. C. de fideicom.  
Quod enim a fideicommissario ita haeres capit,  
quodammodo pro pretio haereditatis capere vide-  
tur. l. in ratione 30. §. tametsi autem 7. supra eod.

[2.] Quae in proposito potest, an duplex  
fideicommissum sit, ut & Maevius fideicom-  
missarius rogatus videatur haeredi centum dare.  
Et Iureconsultus in d. §. tametsi autem. ad eam  
quaestionem respondet. Illud item quaeri po-

test, num haeres Maevii conditionem implere  
possit? Et Iureconsultus in l. a testatore 109.  
de condit. & demonstra. negat posse. Rogatus  
igitur haeres Sempronio restituere, quod a fidei-  
commissario conditionis implendae causa acce-  
perit, de haereditate plenam *Falcidiam* retine-  
bit, Sempronii fideicommissum non attinget:  
nam ea centum mortis causa capit haeres: quae  
autem ita capiuntur, ad *Falcidiam* non perti-  
nent, quemadmodum neque ea, quae haeres le-  
gataro dat implendae conditionis causa. De  
quo scripsimus ad l. 1. §. item 8. supra eo.


[3.] Quo casu cum inducatur *Pegasianum*,  
legatarii loco erit Maevius fideicommissarius,  
neque in eum actiones transferentur. De quo  
plene scribemus ad S. C. *Trebellianum*. Sane  
si testator ita scripserit, ACCEPTIS CENTVM,  
HAEREDITATEM RESTITVITO, neque dan-  
tis personam designaverit, ea pecunia non da-  
ta, sed quasi retenta de haereditate intelligitur.  
Quare si in ea quarta insit haereditatis, *Trebel-  
liano* locum faciet, & actiones transferentur,  
fietque ex fideicommissio successio. Nam *Tre-  
belliano* *Senatusconsulto* tum demum locum esse  
constat, cum haeres aut quarta parte haeredi-  
tatis retenta, aut re certa, quantitateve, in  
qua non minus insit quarta, haereditatem re-  
stituere rogetur. §. ergo 6. & §. si quis una 9. de  
fideicom. haer. facit l. filiusfamilias 18. supra  
eod. De sententia legis huius plura scribemus ad  
l. deducta 58. §. nummis 3. ad *Treb.*

XCIV. SCAEVOLA Lib. XXI. Digestorum.

*Filio & filia scriptis haeredibus, singulis certa praelegavit: sed longe minus filiae, cui etiam domum obligatam, &c.*

S V M M A R I V M.

*Cum invicem ab heredibus legata sunt relicta vel praelegata, qui compensationi locus sit?*

 OVEANVS. De sententia legis  
huius diximus ad l. *Nesennius* 22.  
Cum ab haeredibus invicem legata  
vel praelegata relicta sunt, pro con-  
currente quantitate compensationi locus est, si  
tantum abs te ex legati causa accipio, quantum  
nomine *Falcidiae* peto. Quae sententia illam  
rationem habet, quod retenta abs te *Falcidia*  
legatis ultro citroque praestitis, nihilo plus ha-  
biturus sis, quam admissa compensatione. Tres  
haeredes sumus instituti, invicem nobis legata  
relicta sunt: tu beneficium legis *Falcidiae* im-  
ploras, quia de centum, quae tua erat portio,

octoginta testator nobis legaverit. Iusta postu-  
latio est. Petis insuper quinque, quae tibi prae-  
legata sunt: ea te cum *Falcidia* compensare  
aequum est. Nam & nobis quinque ex causa  
legati dare te oportet: quae si dares, viginti  
quinque duntaxat tibi relinquerentur. Cum igitur  
viginti quinque habeas, nihil te a nobis pe-  
tere oportet, nisi, uti iam dictum est, nobis  
tu velis plene solideque satisfacere. Sic enim  
in fine legis legendum puto, non autem SOL-  
VENDVM. Ad evitandum itaque circuitum  
finge te nobis quinque dedisse, eaque nos tibi  
reddidisse.

XCV. IDEM Lib. XXI. Digestorum.

*Maritus uxoris res, extra dotem constitutas, administravit, eaque decedens ante rationem sibi redditam, &c.*

S V M M A R I V M.

*Quomodo dicatur maritus teneri uxori ex administratione rerum ipsius uxoris?*



**G**OVEANVS. Debitor a creditore haeres institutus, & haereditatem restituere rogatus, id quod debebat cum reliqua haereditate restituet. Quamvis enim confusae actiones sint, locupletio-rem tamen in ratione *Falcidiae* intelligitur haereditatem accepisse, uti multis locis scripsimus. Quod autem Iureconsultus ait, *virum*

*uxori teneri ex administratione rerum ipsius uxoris, de rebus iis accipiendum videtur, quae neque in dotem, neque extra dotem marito datae sunt. Nam & earum rerum fructus lucratur maritus. Quamvis enim extra dotem dentur, tamen marito dantur: & ita dantur, ut eius fiant. Itaque, soluto matrimonio, condicuntur, non vindicantur. l. si ego Seiae 9. de iure dotium.*

§. 1. Ait SCAEVOLA: *Filiae, quam mater rogaverat, si impubes decessisset, restituere haereditatem Titio, patruus legitimus haeres, &c.*

### S V M M A R I V M.

*Quomodo hic §. intelligendus?*

**G**OVEANVS. Mater filiam impub-berem haeredem instituit, & rogavit, ut si impubes decederet, haereditatem Titio restitueret. Eidem puellae in alimenta libertorum pecuniam reliquit. Patruus puellae legitimus haeres extitit. Postulabat, ut eam pecuniam quasi puellae legatam sibi deducere liceret, ex cuius usuris impubes defuncta libertis alimenta praestabat, mortuis enim alimentariis apud puellam remansuram fuisse, *l. si pecuniae 8. de alim. & cibar.*

*leg. De quo scripsimus ad l. Divi 89. supra eod. Verum in d. l. si pecuniae 8. pluribus haeredibus institutis unum pecuniam percipere testator iubet, unde libertos alat: hic vero puellae datum cohaeredem nullum videmus, ut puellae illa pecunia legata intelligi non possit. Quare si ex causa iudex legitimo puellae haeredi pecuniam, unde libertos alat, retinere permittat, pone id eum postulare, & fideicommissarium suspectum esse, cavebit ut quisque decedat alimentarius, pecuniam se fideicommissario pro modo sortis restitutum.*

§. 2. Ait SCAEVOLA: *Post aditam haereditatem triennio exacto, legatariis haeres legem Falcidiam opposuit, idcirco quod administravit, &c.*

### S V M M A R I V M.

1. *Heres post longum tempus implorare potest beneficium legis Falcidiae?*

2. *Phrasis instrumentorum describendi notanda.*

[1.] **G**OVEANVS. Haeres legis *Falcidiae* beneficium post longum tempus implorare non prohibetur, *l. legis Falcidiae 24. supra eo.* Quod si ideo ad *legem Falcidiam* revocare legatarios velit, quod dicat testatorem tutelam administrasse, cuius nondum ratio reddita sit, negetque tantum redigi ex nominibus tutelae posse, quae testator fecerit, quantum in cautionem & stipulationem deductum sit, necesse est, instrumenta omnia exhibeat legatariis, & describendi potestatem faciat, ex quibus rei veritas cognosci possit, ne in eius po-

testate sit, legatarios testatoris liberalitate fraudare. Actor enim hoc casu videtur haeres: actores autem quin postulantibus reis edere rationes teneantur, in dubium non venit. *l. ult. C. de edendo.* Quod si legatarii peterent, & *Falcidiam* propter supradictam causam haeres opponeret, docendum sine dubio ei esset quamobrem legata non deberet.

[2.] Operae pretium est notare genus scribendi, quo Iureconsultus utitur INSTRUMENTORVM DESCRIBENDI. sic TARENTIVS in *Prol. Eun. NOVARVM QVI SPECTANDI &c.*

XCVI. IDEM Lib. singul. Quaest. publice tractatar.

*Miles si, dum paganus erat, fecerit testamentum, militiae tempore codicillos, &c.*

### S V M M A R I V M.

*Codicilli in militia facti, licet testamento post missionem condito, valent iure militari.*

**G**OVEANVS. Quamvis codicilli sequela sint & appendix testamenti, tamen si in militia facti sint, & testamentum post missionem, codicilli iure militari censebuntur, neque ad *legem Falcidiam* revocabuntur: testamentum autem iure communi, & in eo *Falcidia* admittetur. Nam praeter

id, quod privilegia, quibus ius commune impugnatur, extendi non oportet, uti scripsimus ad *l. si post missionem 17. supra eod.* absurdum esset, si appendiculae privilegium in ipsum testamentum, unde pendet, redundaret. Dictabat ANTONIVS GOVEANVS Iureconsultus Gratianopoli ANNO A CHRISTO NATO M. D. LVI.



ANTONII GOVEANI

ANIMADVERSIONVM

LIBER I.

A D

PETRV M BERTRANDVM

*CADVRCORVM EPISCOPI.*



ANTONIUS GOVEANVS

PETRO BERTRANDO

CADVRCORVM EPISCOPO

COMPATRI SVO S.



*ALLVM, quem tibi olim semiaffum apposui, recoxi, & recoctum ad te mitto. Solent quidem huiusmodi cibos medici improbare, sed tui & palati & stomachi mea omnia esse sat scio. Adieci locos aliquot ex superioribus commentariis diligentius a me anno superiore recognitos: in quibus non tam mirum tibi videri debet hallucinatum aliquando esse me, qui pessimis, uti scis, oculis sum, quam quod ex tam altis ac profundis tenebris veritatem (absit verbo invidia) praesertim tam pusillam, tandem eruerim. Muneris tam exigui tam longe ad te mittendi causa illa fuit, ut intelligeres, quanvis locorum intervallis disuncti simus, memoriam tamen amicitiae & coniunctionis nostrae, in animo meo excubare. Vale. Gratianopoli Id. Martiis. M. D. LX. Salutatur te PETRVS tuus, qui iam sapere incipit, & te semper in ore habet. MANFREDO & CARDALLACO, viro optimo & nobilissimo, compatri item meo, ex me & MANFREDO suo salutem plurimam dices. Iterum Vale.*



# ANTONII GOVEANI

A D

L. XXIX. GALLVS AQVILIVS.

DIG. DE LIBER. ET POSTHVMIS.

SCAEVOLA Libro sexto Quaestionum.

GALLVS AQVILIVS sic posse institui postumos nepotes induxit, SI FILIVS MEVS, VIVO ME, MORIETVR, TVNC SI QVIS MIHI EX EO NEPOS, SIVE QVAE NEPTIS POST MORTEM MEAM IN DECEM MENSIBVS PROXIMIS, QVIBVS FILIVS MEVS MORERETVR NATVS, NATAVE ERIT, HAEREDES SVNTO.

## S V M M A R I V M.

1. Nondum nati etiam heredes instituuntur.
2. Etiam liberi sequentium graduum, qui sui futuri erant.
3. Vtraque institutio auctoritate Prudentum introducta est.
4. Ex vulg. substitutionis formula postumi nepotes institui cur non possent?
5. Eum in finem formula GALLI AQVILII introducta.

[1.] **G**OVEANVS. Nondum nati initio non instituebantur, ut qui neque dum cives, neque dum homines, neque dum animantes essent: Prudentibus postea placuit, masculinum omnem posse filium nondum natum, nondum conceptum haereditatem instituire. Absurdum etenim visum est, institui non posse eum, qui, quoniam suus nasceretur, rumpere necessario testamentum. *l. placet 4. supra eod.*

[2.] Eadem ratione placuit, liberos graduum sequentium, qui nati sui futuri essent, institui posse: quorum etiam agnatione rumpere testamentum; amisso itaque filio, poterat avus iure civili nepotem, qui adhuc in utero esset, instituire, ne sui haereditis agnatione rumpere testamentum.

[3.] Vtraque autem institutio, tam filiorum, quam nepotum non natorum, tota iuris civilis est, & ex Prudentum auctoritate pendet, quae iuris civilis pars est. Haec cum ita a veteribus recepta essent, eveniebat, ut eius, qui filium haberet, ex quo nepotem sperabat, nepotis agnatione testamentum necessario rumpere: siquidem mortuo patre vivo avo, nepos post avi mortem suus nasceretur. Nam una cum patre institui nepos nullo modo poterat, sive ex parte, sive ex asse, ut pote qui cum patre simul admitti nullo casu posset: admitti autem propterea nullo casu poterat, quia neque suus

haeres dici nepos posset, cui pater obstaret, neque alienus, qui natus in avi potestate futurus non esset. Vulgaris autem substitutionis formula inepta in eam rem visa est, & quia ipsa personarum qualitas conditionem substitutionis contineret, & quia abstinate filio nihilo magis admitteretur nepos, qui casus locum facit extraneo substituto. Postremo quia emancipato post testamentum filio nepos quasi praeteritus agnascendo rumpere, qui aliter admitti non posset, quam si filius haeres non esset. At mutatione personae constat non vitari institutionem. De quo dicemus ad §. ult. Recte autem institui nepotem oportebat, ut ex testamento admitti posset. Nihil enim interest praeteritus quis sit an non recte institutus. Rumpere itaque necessario nepos iste avi testamentum, si suum nasci contingebat.

[4.] Cui malo ut occurreret GALLVS, formulam protulit, quae a Prudentibus recepta est, ex qua nepos posthumus sive iam testamenti tempore in utero esset, sive conceptus nondum esset, quem filius tempore testamenti antecedebat, institui recte posset, ne ullo casu rumpere agnascendo testamentum. *Mortis* autem *avi* ideo in formula mentio fit, quia is demum nepos iure civili institui potest, qui mortuo avo nascitur. Nam vivo avo nati ad *legem Velleiam* pertinent, qui avum, testamentum nato nepote vel mutare, vel condere denuo valentem, non faciunt necessario intestatum. Mors autem filii casum continet, in quem nepos institutus admittitur.



§. 1. *Quidam recte admittendum credunt, etiam si non exprimat de morte filii, sed simpliciter instituat, ut eo casu valeat, qui ex verbis concipi possit.*

## S V M M A R I V M.

*Nepos posthumus, quem pater praecedat, an recte instituat in casum mortis patris?*

GOVEANVS. Nepos posthumus, quem pater antecedit, recte instituitur in casum mortis patris, siue is casus exprimat hoc modo, SI FILIVS ME VIVO DECESSERIT, siue concipi atque intelligi ex verbo aliquo institutionis possit hoc modo, FILIVS MIHI HAERES ESTO; QVI MIHI EX EO POST MORTEM MEAM NASCETVR NEPOS HAERES ESTO. AVO enim nasci videtur, cuius pater vivo avo decessit: Aut ita, FILIVS HAERES ESTO, QVI POST MORTEM MEAM EX EO NEPOS SVVS NASCETVR, HAERES ESTO.

Neque enim suus avo nasci potest, nisi cui pater vivo avo locum fecerit. Recta itaque nepotis utraque institutio est, tam simplex quam ea in qua casus exprimitur, ac proinde nepotem admitteremus ex testamento, neque praeteritum dicemus. Quod si ita instituas, FILIVS HAERES ESTO. NEPOS HAERES ESTO. praeteritus nepos censebitur, quia non recte sit institutus. Recte autem institutus non est, quia neque exprimitur casus mortis filii, neque ex verbis concipi potest.

## S C A E V O L A.

§. 2. *Idem credendum est GALLVM existimasse & de pronepote, ut dicat testator, SI ME VIVO NEPOS DECEDAT, TVNC QVI EX EO PRONEPOS &c. §. 3. Sed & si vivo filio mortuo iam nepote, cuius uxor praegnans esset, testamentum faceret, potest dicere: SI ME VIVO FILIVS DECEDAT, TVNC QVI PRONEPOS &c. §. 4. Num si & filius, & nepos vivat concipere utrisque, se vivo mortuis, tunc qui pronepos nasceretur? Quod similiter admittendum est, ita sane, si prius nepos, deinde filius decederet: ne successione testamentum rumperetur.*

GOVEANVS. Ad §. hunc sufficient, quae commentario superiore scripsimus.


## S C A E V O L A.

§. 5. *Et quid si tantum in mortis filii casum conciperet? Quid enim si aquae & ignis interdictionem pateretur? Quid, si nepos, ex quo pronepos institueretur, ut ostendimus, emancipatus esset? hi enim casus & omnes, ex quibus suus haeres post mortem scilicet avi nasceretur, non pertinent ad legem Velleiam: sed ex sententia legis Velleiae: & haec omnia admittenda sunt, ut ad similitudinem mortis caeteri casus admittendi sint.*

## S V M M A R I V M.

1. *Nepos institutus in casum mortis filii recte admittitur, filio mortuo, deportato vel emanci-*

*pato.*  
2. *Neque ei casus ad leg. Velleiam pertinent.*

[1.] OVEANVS. Nepos institutus in casum mortis filii, & mortuo filio, & deportato filio, & emancipato filio recte admittitur: Nam praeter id, quod & deportatio & emancipatio mortalitati comparantur, uti scripsimus

priore commentario, iis quoque modis exit filius de patris potestate: neque obstat nepoti, quominus nascatur suus. Sane mortuus vel deportatus filius in totum nepoti locum facit. Ad nullam siquidem haereditatis partem admitti potest: filius autem institutus, ac postea emancipatus



patus partem, ex qua est institutus, consequitur quasi extraneus, in reliquo nepoti non obstat: Quod si & filius & nepos ex assē instituti sint ex formula GALLI, sive aequis partibus, inter eos haereditas dividetur. Hos autem casus necesse est ad GALLI formulam pertinere, & in GALLI sententia suppleri. §. *sequente parte* 13. *huius legis.*

[2.] Nam ad *legem Velleiam* nullo modo pertinent nepotes, qui mortuis avis nascuntur, si enim ad *legem Velleiam* horum nepotum institutio pertineret, lubentius hos casus ad *legem*

*Velleiam* referremus, cuius verba generalia sunt omnes casus complectentia, quibus nepos nasci potest suus. Necesse autem est nepotes nondum natos, aut ex iure civili aut ex *lege Velleia* institui: itaque verba illa LEGIS VELLEIAE addita videntur ab interprete imperito, namque SCAEVOLA voluit casus, quos commemoravimus, supplendos esse ex sententia & mente AQVILII, ut qui casum mortis expresse- rit, de casibus similibus videatur sensisse, ut ipse SCAEVOLA scribit in *d. §. sequente.*

## SCAEVOLA.

§. 6. *Quid, si qui filium apud hostes habebat, testaretur? quare non induxit, ut si antequam filius ab hostibus rediret, quamvis post mortem patris decederet, tunc deinde nepos, vel etiam adhuc, illis vivis, post mortem scilicet, avi nasceretur, non rumperetur. Nam hic casus ad legem Velleiam non pertinet. Melius ergo est, ut in huiusmodi utilitate, praesertim post legem Velleiam, quae & multos casus rumpendi abstulit, interpretatio admittatur; ut instituens nepotem, qui sibi post mortem suus nasceretur, recte instituisse videatur quibuscunque casibus nepos post mortem natus suus esset, rumperetque praeteritus atque etiam si generaliter: Quicquid sibi liberorum natum erit post mortem, aut quicumque natus fuerit, sit institutus, si suus nasceretur.*

## S V M M A R I V M.

1. *Quomodo hic locus legendus?*

2. *Casus, quo nepos mortuo avo, suus nascitur,*

*ad leg. Vell. non pertinet, quae sit eius institutionis formula?*

[1.] **G**OVEANVS. Locus hic ita legendus est: *Quid si qui filium habebat, testaretur, quare non induxit, ut si antequam filius ab hostibus rediret, quamvis post mortem patris decederet, vel etiam, adhuc illo vivo, decederet, suus deinde nepos, post mortem scilicet qui nasceretur, non rumperet.* Quaerit autem SCAEVOLA, quamobrem AQVILIVS hunc casum praetermiserit, quo nepos avo mortuo suus nascitur? Constat namque, filium qui vivo patre ab hostibus captus est, si apud hostes decesserit, non obstat nepoti, quo minus nascatur suus, sive vivo patre, sive mortuo decesserit:

[2.] Nam hic casus ad *legem Velleiam* non pertinet, ex qua vivis avis nati nepotes instituuntur. Huius autem institutionis formula illa

est, SI FILIVS APVD HOSTES DECESSERIT, QVI EX EO POST MORTEM NEPOS MIHI NASCETVR, HAERES ESTO. Neque requiritur filii institutio, cum apud hostes sit. §. *in omnibus* 10. *huius legis*, & *l. cum apud* 31. *eod.* Nec ait testator, SI FILIVS ME VIVO APVD HOSTES DECESSERIT. sed SI FILIVS APVD HOSTES DECESSERIT. Quodocunque enim apud hostes decedat, locum nepoti fecisse intelligitur. Melius igitur est, ne formula AQVILII manca videatur, ut interpretatio admittatur, hoc est, ne casus expressio desideretur, sed sufficiant verba generalia, cuiusmodi sunt verba *legis Velleiae* hoc modo. FILIVS MIHI HAERES ESTO. QVICVNQVE MIHI SVVS NASCETVR POST MORTEM MEAM, HAERES ESTO.

## SCAEVOLA.

§. 7. *Si eius, qui filium habeat & nepotem ex eo instituat, nurus praegnans ab hostibus capta sit, ibique vivo avo & eius filio pariat, mox ille post mortem patris atque*

O O O O

avi



avi redeat, utrum hic casus ad legem Velleiam respiciat, an ad ius antiquum aptandus sit, possitque vel ex iure antiquo, vel lege Velleia institutus non rumpere? Quod quaerendum est, si iam mortuo filio pronepotem instituat, redeatque mortuo eo: sed cum testamentum ab eo non rumpatur, nihil refert, utrum ex iure antiquo, an ex lege Velleia excludatur.

## S V M M A R I V M.

An nepos, qui in civitate conceptus apud hostes natus vivo avo & patre, utroque vero mortuo revertitur, ex GALLI formula videatur institutus?

**G**OVEANVS. Nepos in civitate conceptus, natus apud hostes, vivis avo & patre, in civitatem reversus mortuo utroque sed patre ante avum, avi testamentum non rumpit, ut quaeri nihil sit necesse, ad ius antiquum pertineat nepotis huius institutio, vel ad legem Velleiam: nam neque iure antiquo, neque lege Velleia aliorum nepotum posthumorum institutio permessa est, quam eorum, qui praeteriti rumpunt. Et vero nepos hic neque ex formula GALLI institui posse videtur, cum nascatur vivis avo & patre, neque ex lege Velleia, cum suus non nascatur utpote qui vivo patre nascitur: itaque vel ex iure antiquo, vel ex lege Velleia, institutus quasi praeteritus rumpere, quia non recte institueretur: verum quia, uti iam dictum est, nepos hic nullo modo rumpit, quaerendum non est an iure antiquo, an ex lege Velleia institutus rumpere prohibeatur: quae sententia est horum verborum NIHIL REFERT, AN EX IURE ANTIQVO, AN EX LEGE VELLEIA EXCLVDATVR. Quamobrem autem nepos hic non rumpat, quaerendum est, nam & in civitate conceptus proponitur, & eius pater vivo avo decessisse, & ipse postliminio reversus: Quod quidem non solum in civitate natus, vel conceptus, verum & partui, qui apud hostes conceptus est, tribuitur. *l. si quis filio exhaeredito 6. §. sive autem 2. infr. de iniust. rup.* verum cum nepos hic neque tempore nativitatis, neque reversionis, nullo denique tempore, in avi potestate fuerit, sed hostium servus fuerit, & pater nascenti obstiterit, avi testamentum agnascendo rumpere nullo modo potest: Nam & si in civitate natus esset, testamentum agnascendo non rumpere. Neque melioris conditionis esse debet, propterea quod natus apud hostes sit. Succedendo (quae species est agnationis) videamus, an rumpere testamentum possit? sed magis

est ne possit. Quamvis enim patre vivo natus sit, tamen in avi potestatem reversus non est, quo mortuo ab hostibus repedavit: quo modo intelligi oportet §. *sive iam citatum*, in quo nepos apud hostes conceptus mortuo patre, postliminio reversus vivo avo, avi testamentum succedendo rumpere dicitur, qui natus apud hostes mortuo avo, ab hostibus reversus fuisset: quia neque in avi morientis potestate fuit, neque fuisse fingi potest, quia hostium servus fuit: Nam qui post mortem avi nascitur, succedendo rumpere potest testamentum. Pone eius patrem apud hostes fuisse, eumque mortuo avo existente patre apud hostes natum: hic succedendo, non etiam agnascendo rumpet testamentum: Nam & in avi morientis potestate fuisse creditur, qui eo vivo conceptus sit, & eo vivo natus in potestate futurus esset & in locum, quem pater propter ius suspensum postliminii obtinere videbatur, subintravit mortuo postea apud hostes patre. Quae sententia est §. *sed & si. 7. in d. l. si quis filio exhaeredito*. Neque enim nascens sed natus rumpit, necesse est succedendo rumpat. Non immerito igitur quaerat aliquis, num qui rumpere avi testamentum negatur, ad avi successionem admitti possit? Et dicendum est vel ex testamento, vel ab intestato, admitti posse. Ex testamento quidem, si institutus sit. Ab intestato quoque quasi suum: cum ei ius postliminii competat, quod ne partui quidem denegatur. Nam pater, qui vivo avo decessit, non potest ei in causa successionis videri obstiterit. Hoc loco autem per *ius antiquum* intelligimus ius civile a veteribus Prudentibus constitutum, quo eorum, qui nascuntur mortuis nobis, permittitur institutio, ad quos pertinet formula GALLI, quae & ipsa propterea *ius antiquum* appellatur. Alibi *ius antiquum* pro iure XII. tabularum accipitur in *l. 1. §. si quis adita 10. Dig. ad Tertyl. l. 1. Dig. de pet. haer.*

## S C A E V O L A.

§. 8. *Forstian addubitet quis, an istis casibus, &c.*

**G**OVEANVS. Hunc §. commentario superiore recte videmur & explicasse & emendasse.




## SCAEVOLA.

§. 10. In omnibus his speciebus illud servandum est, ut filius duntaxat, qui est in potestate, ex aliqua parte sit haeres institutus. Nam frustra exhaeredabitur post mortem suam. Quod non est necesse in eo filio, qui apud hostes est, si ibi decedat, & in nepote certe & pronepote, quorum si liberi haeredes instituuntur, institutionem nunquam exigemus: quia possunt praeteriri.

## SUMMARIUM.

1. Ut nepos ex GALLI formula instituatur, requiritur, ut filius ex aliqua parte sit institutus heres.

2. Filius exheredatus non obstat, quo minus ne-

[1.] OVEANVS. In omnibus iis speciebus, quibus nepos posthumus ex formula GALLI instituitur, necesse est filium ex aliqua saltem parte haerem institui. Nam & praeteritus, & exhaeredatus, iniustum faciet testamentum: quia non recte sit exhaeredatus: nam post eius mortem exhaereditio effectum haberet, cum nepos mortuo demum patre, ex testamento admittatur. Exhaereditio autem, nisi cum ex testamento successum est, non valeat. Itaque si testator ita scribat, FILIVS EXHAERES ESTO: SI FILIVS, ME VIVO, DECESSERIT NEPOS HAERES ESTO. Neque det nepoti cohaerem, dubium non est, quin effectus exhaereditationis post mortem filii conferatur, ac proinde quasi praeteritus rumpat, quia non recte sit exhaeredatus: Quod si nepoti det cohaerem hoc modo, FILIVS EXHAERES ESTO, SI FILIVS ME VIVO DECESSERIT NEPOS, QVI POST MORTEM MEAM NASCETVR HAERES ESTO, TITIVS HAERES ESTO. dubium non est, quin valeat exhaereditio adeunte Titio, qui filii mortem non expectat. Item si nepotem simpliciter haerem testator scribat, non ex formula GALLI hoc modo, NEPOS QVI POST MORTEM MEAM NASCETVR, HAERES ESTO. recte filius exhaeredabitur.

[2.] Nam & nepos superstes exhaeredito filio institui potest, & filium exhaeredatum haerem necessarium avo faciet. l. qui in aliena 6.

pos simpliciter possit institui heres.

3. Quin & avus, si ex nepote instituat pronepote, praeterire potest nepotem.

4. Alia causa est nepotum postumorum.

§. interdum 5. de acquir. haered. Neque obstat filius exhaeredatus nepoti, quominus nepos simpliciter institui possit, cum exhaereditatione suus esse definat. Suus enim qualitas haeredis est, quemadmodum scripsimus altero commentario. Quod autem diximus, in praedictis speciebus filium ex parte aliqua institui oportere, aliter in filio, qui apud hostes est, se habet, cuius praeteritio non facit iniustum testamentum l. cum apud hostes 31. infr. eo. Reversus tamen filius ab hostibus, testamentum iniustum facit. §. sed & si pater 1. in fine l. si quis filio 6. Dig. de iniust. rupt.

[3.] Item si ex nepote pronepote posthumum avus instituat, nepotem superstitem praeterire potest, in quo deterior est conditio nepotis quam filii: Atque ita ex GALLI formula pronepote instituire hoc modo, SI NEPOS ME VIVO MORIATVR, QVI MIHI PRONEPOS EX EO POST MORTEM MEAM NASCETVR &c. De quo scripsimus ad l. cohaeredi 41. §. cum filiae 2. de vulg.

[4.] Alia est causa nepotum postumorum, quorum praeteritio testamentum viciat, quia oblivione praetermissi videntur, quemadmodum initio scripsimus. Praeterito igitur nepote, pronepote autem ex GALLI formula instituto, si superstes sit avo nepos, pronepotis institutione constat evanescere, & rem ad causam intestati redire: Quod si pronepote datus esset cohaeres, nepoti praeterito certa portio olim accrescebat, quod a IVSTINIANO immutatum est in l. maximum vitium 4. C. de liber. praet. vel exhaer.

## SCAEVOLA.

§. 11. Nunc de lege Velleia videamus, quae voluit vivis nobis natos similiter non rumpere testamentum: §. 12. Et videtur primum caput eos spectare, qui cum nascerentur sui haeredes futuri essent: Et, rogo, si filium habeas, & nepotem nondum natum tantum ex eo haerem instituas, si filius decedat, mox, vivo te, nepos nascatur: Ex verbis dicendum est, non rumpi testamentum, ut non solum illud primo



capite notaverit, si nepos eo tempore instituatur, quo filius non sit, verum & si vivo patre nascatur. Quid enim necesse est, tempus testamenti faciendi respici, cum satis sit, observari id tempus quo nascitur? Nam & si ita verba sunt, QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNIS VIRILIS SEXVS, QVI EI SVVS HAERES FVTVRVS ERIT, &c.

## S V M M A R I V M.

*Legis Velleiae explicatur sententia primo capite.*

**G**OVEANVS. Iure civili eorum nepotum, qui nondum nati erant, institutio permittebatur, cum praeteriti necessario avum intestatum facerent. Necessario autem avum intestatum faciebant, cum post avi mortem sui nascebantur. Nam post testamentum natis nepotibus vivis avis, poterant avi sibi consulere vel mutando, vel novo condendo testamento. Verum quia non omnibus locis civium Romanorum copiam

testator habere poterat, ideoque testamentum condere denuo non valebat, primo capite legis Velleiae nepotum nondum natorum, qui vivis avis sui nascerentur, institutio permessa est: ut non solum haeredes ex testamento, verum & necessarii fiant: Ad nepotum duntaxat institutionem, non etiam filiorum pertinuisse legem Velleiam, scripsit Iurisconsultus in l. suus quoque 4. §. ult. de haered. instit. Verba legis recte commentario altero interpretati sumus & §. emendavimus.

## S C A E V O L A.

§. 13. *Etiam si, parente vivo, nascantur, sequente parte succedentes in locum liberorum non vult lex rumpere testamentum. Et ita interpretandum est, ut si & filium & nepotem, & pronepotem habeas, mortuis utrisque pronepos institutus succedens in sui haeredis locum non rumpat: Et bene verba se habent, SI QVIS EX SVIS HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT, ad omnes casus pertinentia, quos supplendos in GALLI AQVILII sententia diximus, nec solum si nepos vivo patre decedat, nec succedens pronepos avo mortuo rumpat, sed & si supervixit patri ac decedat: dummodo haeres institutus sit, aut exhaeredatus.*

## S V M M A R I V M.

1. *Secunda legis Velleiae pars quo spectet?*

2. *Cur vulgaris substitutionis formula instituendis nepotibus non sufficiat?*

[1.] **G**OVEANVS. Recte commentario superiore huius §. initium fecimus. Et verba illa ETIAM SI PARENTE VIVO NASCANTVR. ad §. superiorem pertinere ostendimus, esseque verba postrema capituli prioris legis Velleiae. Secunda igitur pars legis Velleiae pertinet ad eos nepotes, qui superstites sunt tempore testamenti, atque ita haeredes institui poterunt, utpote iam nati. Neque aliud hac parte cavetur, quam quemadmodum nepotes iam nati, quos patres praecedunt, ab avis institui possint, ne succedentes in locum filiorum rumpant avorum testamenta. Quemadmodum enim nepotum non natorum, ita iam natorum praeteritio testamentum vitiabat, si illos contingebat nasci suos, & hos in locum suorum

succedere: utrique enim magis oblivione, quam iudicio praetermissi videri poterant: quoad filii nepotes praecedunt, nepotum ratio non habetur, quasi non natorum & succedendo agnasci videntur, quasi nunc primum in lucem editi, quod ad avi attinet successionem.

[2.] Quaeri autem hoc loco potest, quamobrem vulgaris substitutionis formula institutioni nepotum superstitum non sufficeret? Et non ineleganter dixeris, ineptam propterea visam substitutionis formam, quia qualitas ipsa personarum eam contineret conditionem: neque continuo nepotem haerodem esse posse ex substitutione non adita a filio haereditate. Nam abstinens filius nepoti substituto locum non facit, cum in suis non sit successio. l. 2. de suis & legit. haeredi. De quo scripsimus ad l. qui se patris 3. C. unde liberi. Qui autem vulgariter sub-



substituitur, in omnem casum admittitur, quo filius institutus haereditatem non amplectitur: casus unus est, in quo filius non exhaeredatus avo superstes, nepoti non obstat, quominus avo

sit suus. De quo in *l. si filius haeres 16. supra eod.* Ad quam scripsimus *lib. 1. lect. var. c. 5.* Et ad §. *hunc* sufficient, cum iis quae altero *commentario* scripsimus.

### §. Videndum 14.

Quae ad hunc §. *commentario superiore* scripsimus, sufficient.

### SCAEVOLA.

§. 15. *Ille casus in difficili est, si filium habeas, & nepotem nondum natum instituas, isque nascatur vivo patre suo, ac mox pater decedat: Non enim suus haeres est tempore quo nascitur, nec posteriori alius succedendo probiberi videtur rumpere, quam qui iam natus erat. Denique & superiore capite, ut liceat instituere nondum natos, qui cum nascentur sui erunt, permittit, posteriore capite non permittit institui, sed vetat rumpi, neve ob eam rem minus ratum esset, quod succedit. Porro procedere debet, ut utiliter sit institutus, quod nullo iure potuit, qui nondum natus erat. IULIANO tamen videtur, duobus quasi capitibus legis commissis, in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur testamenta. §. 16. Quaeremus tamen (cum recepta est IULIANI sententia) an si nascatur nepos vivo patre suo, deinde emancipetur, sponte adire possit haereditatem; quod magis probandum est. Nam emancipatione suus haeres fieri non potuit.*

### S V M M A R I V M.

Quae ab initio non valuit institutio, ex post facto non confirmatur.

**G**OVEANVS. Cum IULIANI (ait SCAEVOLA) recepta sententia sit, hoc est, cum huiusmodi nepotis institutio commissis duobus legis capitibus inducta videatur, quaerendum est, an si nepos vivo patre natus emancipetur, necessarius an voluntarius haeres fiat? Nam lex nepotes non natos institui necessario permittit. Magis autem probandum est, ut sponte adeat ex testamento. Nam mutatione personae non vitatur institutio. Quod si IULIANI sententia recepta

non esset, hoc est, si nepotis huius institutio ab initio non constitisset, emancipatus ex testamento adire non posset: Quae enim ab initio non valuit, ex post facto non confirmatur institutio: Qui ergo quasi suus institutus est, & recte institutus est commissis, ut dictum est, legis capitibus, spontaneus haeres fit propter emancipationem. Qui *posthumi* dicantur, & quae sint *posthumerum* genera, scripsimus *commentario superiore*.

Ad *l. Iam hoc iure 4. De vulg. & pupil. substit.*

### S V M M A R I V M.

1. Quodnam tertium substitutionis genus?
2. Reciprocae substitutionis ius a D. PIO constitutum est.

3. Ad quam & ius D. MARCI constitutionis porrectum est.

[1.] **D**e tertio genere substitutionis, cuius in *l. iam hoc iure 4.* mentio fit, semper dubitavi. Et primi generis esse videtur, in qua primus casus exprimitur, si haeres non erit. secundi, in qua secundus casus, hoc est pupilla-

ris exprimitur, hoc modo: SI FILIVS HAERES ERIT, ET INTRA PUBERTATEM DECESSERIT. vel ita, SI FILIVS INTRA PUBERTATEM DECESSERIT. Nam & hic casus pupillaris est. Verum haec substitutio D. MARCI constitutione non eget. Tertii autem



rem generis substitutiones esse videntur, in quibus neque vulgaris, neque pupillaris casus exprimitur, hoc modo: FILII MEI IMPUBERES HAEREDES SVNTO: EOSQVE INVICEM SVBSTITVO. sive hoc modo, FILIVS HAERES ESTO: FILIO TITIVM SVBSTITVO.

[2.] Reciprocae substitutionis ius a D. PIO fuerat constitutum. Cuius constitutionis illa ratio esse videtur, quod eiusmodi substitutiones in omnem causam fieri videntur. *l. si plures 10. de vulg.*

[3.] Ad illam autem substitutionem, FILIVS HAERES ESTO, FILIO TITIVM SVBSTITVO. ius constitutionis D. MARCI porrectum videtur. Quamobrem autem D. MARCI constitutionem ad substitutionem hanc trahi fuerit

neceffe, mihi satis non liquet, cum utrumque casum continere videatur: Illud affirmare audeo, si substitutio haec tertii generis sit, si ad eam porrecta sit D. MARCI constitutio, verbo huic SVBSTITVO proprium in vulgari substitutione locum fuisse: si enim casum utrumque verbum SVBSTITVO comprehendebat, quid opus fuit, D. PIVM constituere, substitutionem ita factam EOSQVE INVICEM SVBSTITVO, in casum utrumque valere? Quamvis autem ius substitutionis reciprocae D. PII constitutione sit constitutum, tamen de simplici substitutione, facta hoc modo, FILIO IMPUBERI SEIVM SVBSTITVO, cautum satis non erat: Itaque ius constitutionis D. MARCI ad simplicem hanc substitutionem tractum est.

*Ad l. Si pater 9. eod. titu.*

### S V M M A R I V M.

*Cur LABEONIS sententia ab Imperatore sit improbata?*

L ABEONIS sententiam ab VLPIANO relata tam improbat Imperat. in *l. ult. C. de impub.* Et frustra ratio conciliationis exquiritur. Imperatorem autem illa ratio movit, quod plus LABEO tribuisset ei, quem minus testator di-

lexisset. Verum illud parum animadvertisse aut curasse Imperator videtur, quod ex disparibus partibus instituti, in pupillari substitutione contra iuris regulam, si trientes fiant, exaequantur.

*Ad l. Etsi contra tabulas 35. eod.*

### S V M M A R I V M.

1. *Legata, a filio impubere coniunctis personis relicta, quomodo praestanda a substituto?*
2. *Cur impuberi substitutus legata praestet extraneis, quae ipse institutus non praestitisset, a quo legata data sunt?*
3. *Cur omnibus substitutus ea tantum praestet ex ea parte, ex qua filius institutus fuerat?*
4. *Quod si institutus filius coniunctis legata praestiterit, & decesserit, an a substituto petant extranei?*

[1.] **L**EGATA, relicta a substituto, quemadmodum praestentur, docet hoc loco AFRICANVS. SCAEVOLA autem in *l. ult. de leg. I.* docet, quemadmodum legata, relicta a filio impubere instituto, praestentur a substituto, decedente filio intra pubertatem, non legatis praestitis, cum filius ex uncia institutus, beneficio fratris praeteriti, per bonorum possessionem contra tabulas partis dimidiae bonorum possessionem accepit. Et siquidem legata a filio coniunctis duntaxat personis relicta sint, neque ea pupillus praestiterit, substitutus ea praestabit, quasi aes alienum: Ex uncia quidem ipso iure, ex reli-

quo autem Praetoris iussu, cuius beneficio quinque unciae filio accesserunt: suam namque portionem gravare in eo potuit Praetor. Et hoc nimirum est, quod *hac lege* scribit Iureconsultus, QVEMADMODVM ET IPSE FILIVS PLVS EXCEPTIS DEBERET, SI PER BONORVM POSSESSIONEM PLVS AD EVM PERVENISSET. Quod multo magis in substituto filii admittendum est, ut legata relicta ab instituto coniunctis personis neque praestita ipse praestet, habita ratione semissis, non solum ex uncia. Absurdum namque est, si Praetor magis faveat substituto, quam filio: Datis autem ab instituto legatis tam coniunctis, quam extraneis personis, institutus quidem filius ipso iure omnibus legata debet



debet, ex qua parte est institutus: sed bonorum possessione contra tabulas accepta, a praestatione legatorum extraneis relictorum, filius Praetoris auxilio liberatur, & solis coniunctis Praetor legata servat, non solum ex parte, ex qua filius est institutus, verum & ex eo quod ipse Praetor adiecit: quae legata si a filio praestita non fuerint, ab eius substituto praestabuntur: Extraneis quidem, habita duntaxat eius portionis ratione, ex qua filius fuerit institutus: Coniunctis vero, habita ratione eius quoque portionis, quae per bonorum possessionem contra tabulas accessit: Cuius sententiae illa vis, ac potestas est, ut coniuncti, qui *Falcidiam* fortasse paterentur, si legata eis praestarentur, ex portione duntaxat, ex qua filius fuerat institutus, solida legata consequantur, propter portionem, quae beneficio Praetoris filio accessit: ipsi autem extranei, propter eam accessionem, nihilo magis legata consequantur a substituto pleniora, ac proinde *Falcidiam* patiantur, ac si filio per bonorum possessionem contra tabulas accessisset. Et hoc nimirum est, quod ait SCAEVOLA, OMNIBVS EX VNCA PRAESTARI, EX RELIQUIS AVTEM CONIUNCTIS DUNTAXAT.

[2.] Duo circa rem hanc quaeri possunt, alterum, quamobrem impuberi substitutus legata praestet extraneis, quae ipse institutus non praestitisset, a quo legata data fuerunt: cum substitutus ex persona instituti legata debere dicatur. *l. in ratione legis Falcidiae retentiones 11. §. quod vulgo 5. infr. ad leg. Falcid.* Alterum est, cur substitutus omnibus praestet relicta ab instituto, non ex tota, sed ex ea duntaxat parte, ex qua filius institutus fuerat, ea praestet: Nam ab ipso instituto data legata constat, omnibus praestari

ex toto eo, quod ad substitutum pervenit; ut AFRICANVS *hac lege* scribit. Ad prius illud responderi possit, quamvis a praestatione legatorum extraneis personis relictorum, filium Praetor relevaverit, substitutum tamen non relevasse; & aequum esse substitutum legata omnia praestare, quae ipse institutus praestitisset, si bonorum possessionem contra tabulas non agnovisset: maxime cum portio substituti per bonorum possessionem aucta sit.

[3.] Ex portione autem, ex qua filius institutus fuerat, propterea omnibus legata praestat substitutus, (ut ad secundam quaestionem respondeam,) quia etsi filius bonorum possessionem contra tabulas non agnovisset, sed contentus institutione fuisset, non ex maiore portione legata praestitisset, & suam accessionem coniunctis duntaxat Praetor prodesse voluit in legatis ab instituto relictis a substituto praestandis. Quod si portio instituti vel iure accrescendi, vel ex substitutione augeatur, eam accessionem legatariis tam coniunctis, quam extraneis prodesse non dubito, ac propter eam legata relicta ab instituto pleniora praestari a substituto: verum propter hanc Praetoriam, quam dixi, accessionem, extranei, quibus Praetor non providit, ampliora legata non consequentur a substituto.

[4.] Quid ergo si institutus filius coniunctis legatis praestitis decesserit? Petentne extranei a substituto? Et nulla ratio est, quamobrem petere non possint. *Huius* autem §. species in pupillari substituto ponenda necessario est. Nam vulgares substitutiones, accepta bonorum possessione vel secundum, vel contra tabulas, expirant.

*Ad §. Titius haeres esto 1. l. servum communem 48. eod.*

### S V M M A R I V M.

1. *Quis servi institutionis effectus?*
2. *An in hac specie duo sint heredum gradus?*
3. *An causa institutionis sit mutata?*

4. *Cur Stichus una cum filio ad hereditatem non admittatur?*

[1.] **V**AERENDVM est, quis sit, institutionis servi, & quis substitutionis effectus? Et cum servus legatus idemque institutus haereditatem nisi iussu legatarii adire non possit, legatum autem propter libertatem eodem testamento servo datam non valeat, constat adeunte Titio, ac proinde confirmata servi libertate, servum ex institutione adire non posse. Rursum Titio non adeunte, cum legata non debeantur, non potest Stichus iussu legatarii haereditatem adire: Neutro itaque casu Stichus ex institutione haeres esse potest: cum neutro casu legatarium haerodem facere possit. Verum cum libertas, quamvis secundo gradu relicta, in primo data intelligatur. *l. 2. Digest. de manum test.* merito dubitaverit quis, quamobrem, cum primo gradu & institutus, & liber reperiatur, Stichus ex institutione haeres esse ipse non possit, ac sibi haereditatem acquirere: Et respondendum est, favorem iuris non egredi libertatem, ac servo satis esse debere, si libertatem, relictam a substituto, ab instituto consequatur.



[2.] Circa substitutionem hae quaestiones occurrunt: Primum, an in proposita specie duo sint gradus haeredum. Deinde an causa institutionis sit mutata. Postremo, cur Stichus una cum Titio ad haereditatem non admittatur? Ad quaestionem primam respondeo, Quamvis idem Stichus instituatur, & substituat, duos tamen gradus esse: propterea, quod in institutione domini persona spectatur, qui ex institutione haereditatem quaerit: in substitutione autem ipsius Stichi, ac proinde duarum personarum vice fungitur Stichus institutus, & substitutus.

[3.] Causam institutionis in substitutione mutatam esse, ex eo manifeste apparet, quod ex substitutione possit Stichus esse haeres: quamvis

institutioni locus non fuerit.

[4.] Ad postremum respondeo, propterea non posse Stichum ex substitutione una cum Titio instituto admitti, sed, non adeunte demum Titio, Stichi substitutioni locum esse. Quia manifeste apparet, noluisse testatorem, una cum Titio Stichum concurrere, quem ita cum Titio instituit, ut cum Titio haeres esse non posset. Aliud dicendum est, si Titius cum Sempronio haeres instituatur, & Sempronius, causa mutata, sibi substituat, hoc modo, TITIVS HAERES ESTO, &c. Quamvis enim ex substitutione admittatur, ita tamen est institutus, ut possit ex institutione haeres esse: Stichus autem ita est cum Titio institutus, ut haeres ex institutione esse non possit cum Titio.

Ad l. Re coniuncti 89. Dig. de leg. III.

S V M M A R I V M.

1. *Quinam re tantum, verbo tantum & re & verbo simul coniuncti habeantur?*
2. *In portionibus coniunctorum omnibus praeferruntur, quibus eadem res legata est.*
3. *Verbo coniunctus praefertur ei, qui verbo coniunctus non est.*

4. *Quatenus in legatis ius accrescendi admittendum?*
5. *Verbis coniungi non possunt, nisi quibus aequae partes legantur.*
6. *Quid sit coniunctim legari, & quomodo inter illos partes fiant?*

[1.] **S**ENTENTIAM l. re coniuncti 89. ut ante me fortasse nemo, ita neque ante hunc diem ego intellexi. *Re tantum coniunctos* esse constat, quibus ita legatur. TITIO FVNDVM SEIANVM LEGO, EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO LEGO. Totus enim fundus utrique legatur, sed separatim, hoc est verbis, & orationibus diversis. *Verbo tantum coniunctos*, quibus ita legatur: TITIO ET MAEVIO FVNDVM SEIANVM AEQVIS PARTIBVS DO LEGO. *Re & verbo coniunctos*, quibus ita, TITIO ET MAEVIO FVNDVM SEIANVM LEGO. Totus enim utrique fundus uno verbo legatur.

[2.] Hi in portionibus coniunctorum omnino praeferruntur, quibus eadem res, aut rei pars legatur: Exempli causa, TITIO, ET MAEVIO FVNDVM SEIANVM LEGO, EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO LEGO, EIVSDEM FVNDI PARTEM DIMIDIAM SEIO LEGO. Maevio legatum repudiante, eius portio soli Titio accrescit. Ratio illa est, quia dempta coniunctione verbi, portio Maevis omnibus pro portione accresceret: Verbi accedens coniunctio ius praelationis parit. Re autem coniunctos constat, non esse potiores: Exempli causa, TITIO FVNDVM LEGO, EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO LEGO, EIVSDEM

FVNDI PARTEM DIMIDIAM SEIO LEGO, Repudiante Maevio legatum, eius portio omnibus pro rata accrescit, uti enim diximus, ex verbi coniunctione praelationis ius oritur.

[3.] Verbis autem tantum coniunctus an praeferratur ei, qui verbo coniunctus non est, quaeritur: Et magis est, ut coniunctus verbo praeferratur ei, qui coniunctus verbo non est: ut ecce, TITIO, ET MAEVIO FVNDVM AEQVIS PARTIBVS LEGO. EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO LEGO. dubium non est, quin, dempta coniunctione verbi, & partibus separatim legatis, hoc modo, TITIO DIMIDIAM, MAEVIO DIMIDIAM, SEMPRONIO TOTVM FVNDVM LEGO, inter omnes ius accrescendi pro portione versetur. l. Mevio fundi partem dimidiam 41. de leg. II. Partibus itaque Titio, & Mevio coniunctim legatis, ius praelationis inducet verbi coniunctio, qua uti diximus dempta, ius nihilominus accrescendi inter legatarios reperitur: Idem dicendum est, si ita legatum sit, TITIO, ET MAEVIO FVNDVM AEQVIS LEGO, EIVSDEM FVNDI DIMIDIAM SEMPRONIO LEGO. Nam repudiante Titio, soli Maevio eius portio accrescit: quibus si partes separatim legatae fuissent hoc modo, TITIO DIMIDIAM, MEVIO DIMIDIAM, SEMPRONIO DIMIDIAM LEGO: iure accrescendi omnes uterentur, ut quod Iurisconsultus, scribit



scribit in *l. Maevio cit.* non solum procedat, cum tertio legatario totus fundus legatur, verum & cum pars legatur, sed ea, quae haeredem excludat: ne penes eum repudiata portio remaneat. Exempli causa, TITIO TRIENTEM FVNDI LEGO, TRIENTEM MAEVIO, SEMPRONIO TRIENTEM. repudiante Titio, eius portio non accrescet legatariis, sed penes haeredem relinquetur, quibus satis esse debet, quod trientes suos habeant.

[4.] Nam in legatis ius accrescendi haecenus admittimus, ut portio a testatore relicta expleatur, non ut amplius consequatur legatarius, quam ei testator legavit. Itaque si Titio dimidia, Maevio dimidia, Sempronio totus fundus, vel dimidia legetur, propterea inter eos ius accrescendi reperitur: neque vacans portio haeredi relinquatur, quia necesse est, expleamus portiones legatariis a testatore relictas: his autem expletis, nihil est, quod haeres retinere possit. Quod si ita legatum sit, MAEVIO DIMIDIAM, SEMPRONIO TOTVM FVNDVM LEGO. repudiante Maevio, totum fundum consequitur Sempronius, Sempronio vero repudiante, Maevio dimidia expletur, reliquum penes haeredem remanet: secus in haereditatibus se habet: nulla enim certa portione ius accrescendi definitur: Qui enim ex parte haeres est, ex assè haeres est, iuris potestate: neque potest quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere. Vnde fit, ut si plures legatarios verbis hoc modo coniungas, TITIO, MAEVIO, SEMPRONIO, FVNDVM AEQVIS PARTIBVS LEGO, nunquam inter eos ius accrescendi reperitur: cum partes habeant a testatore relictas, trientes videlicet, ut vacans triens necessario haeredi relinquendus sit: ne legatarii plus habeant quam eis testator reliquerit. Idem dicendum in quatuor pluribusve legatariis. Et generaliter definiendum in legatis est, iure accrescendi legatarios consequi posse, quantum testator eis reliquerit, amplius non posse: quia neque ex testamento amplius vindicare possunt.

[5.] Illud praetereundum non est, verbis coniungi non posse, nisi quibus aequae partes legantur hoc modo, TITIO, ET MAEVIO FVNDVM AEQVIS PARTIBVS LEGO, vel hoc modo, TITIO, MAEVIO, ET SEMPRONIO FVNDVM PRO TRIENTIBVS LEGO. Quibus ex disparibus partibus fundus legatur, iis necesse est pluribus verbis, & orationibus legetur. Quemadmodum autem inter legatarios, ita & inter haeredes coniunctio ius praedationis inducit, exempli causa, TITIVS, ET MAEVIVS EX TRIENTE MIHI HAEREDES SVNTO: SEIVS EX TRIENTE HAERES ESTO, SEMPRONIVS EX TRIENTE HAERES ESTO: Titius, & Maevius in suo triente reliquis praefertur. Dempta autem verbi coniunctione, iure accrescendi omnes uterentur:

Vt autem Titius, & Maevius iure accrescendi utantur, ex certa parte institui debent. Nam qui sine parte instituuntur, quod ad ius accrescendi attinet, coniuncti non sunt *l. item quod Sabinus 17. §. unde idem 1. de haered. instit.* Neque obstat *l. haeredes sine partibus 63. eod. tit.* Aliud enim est *sine partibus* institui, aliud *sine parte*: TITIVS, ET MAEVIVS EX TRIENTE HAEREDES SVNTO, ex parte instituti sunt, & tamen sine partibus. Ex partibus instituuntur qui sic instituuntur, TITIVS, ET MAEVIVS EX SEMISSE AEQVIS PARTIBVS HAEREDES SVNTO: Quorum si alter portionem repudiet, omnibus, non solum Titio, pro portione accrescit.

[6.] Quid sit *coniunctim legari*, & quemadmodum inter eos partes fiant, quibus res coniunctim legatur, non recte videmur explicasse *commentario de iure accrescendi.* *Coniunctim* igitur *legari*, est eandem rem duobus, pluribusve sine partibus legari: hoc modo, TITIO FVNDVM LEGO: EVNDEM FVNDVM SEMPRONIO LEGO, vel ita, TITIO, ET SEMPRONIO FVNDVM SEIANVM LEGO: utroque enim modo fundus totus, hoc est sine partibus, legatur: Atque ita *coniunctim legari* dicitur *l. coniunctim 80. de leg. III. l. plane 34. §. si coniunctim 9. de leg. I.* Hi autem, quibus res sine partibus legatur, ipsi sibi ab initio partes faciunt. *d. §. si coniunctim.* hoc est alter alterum impedit, quominus totum petere possit aut actione personali, aut reali. *d. §. si coniunctim. & l. duobus 85. l. si pluribus. 33. vers. sin autem 1. eodem.* Quod ita accipi debet, quandiu alter petere potest: si enim iam legatum repudiavit, alter recte totum petet: quia in legato nemo iam sibi possit concurrere, hoc est, nemo partem auferre possit. Itaque in *d. l. duobus.* ablata ab altero parte aestimationis per actionem personalem, videbatur alter totum vindicare fundum posse: quia nullam iam fundi partem auferre possit is, qui actione ex testamento partis suae aestimationem sit consequutus: Verum ei *doli mali* exceptionem ob stare, *eo loco* scribit Iureconsult. Partem namque suam videri abstulisse eum, qui partis suae aestimationem abstulit. Quamvis igitur solidus fundus, hoc est sine partibus a testatore pluribus legetur, partem duntaxat petere singuli possunt, quandiu alii concurrere possunt, hoc est partes suas petere possunt. Qui si partes suas non petant, neque concurrant, ei, qui partem suam consequutus est, caeterorum portiones accrescent, atque ita solidum legatum consequetur. Et hoc est, quod vulgo dici solet, *concurso inter eos partes fieri*: non quod in conflictu actionum utroque totum vindicante inter eos res scindatur, sed quod nisi alter partem suam petat, is qui partem petiit, & accepit totum habeat: ita accipi *concurso* oportere, ex eo liquido constat, quod in *d. §. si*  
con-



coniunctim, partes facere concursu dicuntur ii, quorum alteri in primis tabulis, alteri in secundis eadem res legatur, quos simul petere non posse constat. Idem colligitur ex verbis illis, *d. l. si pluribus*. PRO VIRILI PORTIONE AD LEGATVM OMNES VENIRE. hoc est concurrere. Partem porro faciunt interdum etiam ii, qui ad partem non admittuntur, ut si Titio, & seruo proprio testator fundum leget: seruus etenim Titio obstabit, quominus totum vel petere, vel consequi possit, quamvis seruo inutiliter sit legatum. *d. §. si coniunctim*. Item si Titio, & ei quem sciebat in rerum natura non esse, fundum testator leget, qui in rerum natura non erat, Titio partem faciet. *l. si duobus 85. de leg. 1.* quamvis ad partem non admittatur. Aliud dicendum, si mortuum ignorabat testator, sic enim intelligi oportet. *l. unica. §. in primo 3. iuncto §. praecedente C. de caduc. toll.* Differentiae ratio illa est, quod qui legat ei,

quem mortuum esse scit, illi duntaxat legare videtur, ut partem coniuncto faciat, non ut ipse ad legatum perveniat. Si autem ei, quem mortuum ignorat, leget, eo animo legat, ut legatum legatarius consequatur. Item si Titio, & Maevio seruum legavi, qui Titii erat, Titius Maevio partem facit, Maevius nihil quidquam aut petet, aut auferet praeter partem aestimationis servi. *l. huiusmodi 84. §. si Titio 8. de leg. 1.* Sane haeredi & Titio si fundus legetur, haeres Titio partem faciet, quamvis haeredi inutiliter legetur. *d. l. plane. §. si duobus 11.* Hoc enim legatum in persona haeredis nulla ratione consistere potest, nec intelligi, hoc est non modo iuris regula vetante, ut in legato seruo proprio relicto, sed & natura ipsa rerum, quae non patitur, quenquam a se ipso petere, vel accipere. De legato Titio, & posthumo relicto scripsimus in *priore commentario de iure accrescendi*.

*Ad l. Si filius haeres 16. De liber. & posthum.*

### S V M M A R I V M.

*Necesse est, nepotem, qui avo ex testamento heres fit, suum esse avo.*

**L**ibro priore lectionum variarum illud non recte videmur explicasse, quod scribit AFRICANVS in *l. si filius haeres 16. de liber. & posthum.* Nepotem filio vulgariter substitutum tam avo, quam patri suum haeredem futurum, non nato posthumo, qui testamento fuerat omissus, si filius decedat, cum adhuc de testamenti viribus dubitatur; sic autem locus is intelligi debet, ut filius, cui ex testamento, de cuius viribus dubitabatur, viventi delata haereditas non fuerit, nepoti, quominus avo suus sit, obstare non videatur: Quamvis enim nepotem praecederet, in causa tamen testamentariae successionis non praecedebat, cui (ut diximus) viventi haereditas delata non fuerit. Necesse autem est nepotem, qui avo ex testamento haeres fit, suum esse, cum in avi morientis potestate fuerit, ac proin-

de extraneus dici non possit: filio autem, si vel ex testamento, vel ab intestato decedat, nepos quoque suus erit, cum in eius morientis potestate fuerit. Neque novum est, nepotem patri, & avo suum esse. Nam patre exhaereditato, ipse ab avo institutus suus avo est: quia ei pater in causa haereditatis avitae non obstat, item & patri. Neque vero hoc casu intelligi potest, filius non nato posthumo retro ex testamento haeres fuisse. Quod enim in *l. ventre praeterito 84. D. de acq. haered.* scribit PAPIANVS *filium ex testamento haeredem fuisse intelligi non nato posthumo*, procedit, cum extraneus filio datus est substitutus, vel cohaeres, idque in gratiam nepotum, qui si filio substituantur, fictione ea nihil opus est: cum eis sufficiat institutio ad obtinendam avi haereditatem.

*Ad l. In quartam 91. ad leg. Falcid.*

### S V M M A R I V M.

1. Legati duntaxat pars, quae iure hereditatis capitur, inputatur in Falcidiam.
2. Quae inter legatum & praelegatum differen-

tiae?

3. Qui in hac lege D. PIVS in *l. 58. §. 3. ad Trebell.* HADRIANVS vocatur.



[1.]



**A**d *l. in quartam* 91. scripsimus, totum legatum, & totum fideicommissum extra *Falcidiam* esse. Movebamur, quod, repudiata haereditate, totum nihilominus legatum haeres consequeretur. *l. Et quidem totum* 18. *de leg. 1.* Item quod aliud iuris esse diceret Iurisconsultus in *fideicommissaria haereditatis restitutione*, in qua pars tantummodo legati haereditaria in *Falcidiam* imputetur. Verum, cum pars legati tantum iure haeredis capiatur, & **PAVLVS** in *l. Nefennius* 22. diserte scribat, quod iure haeredis capitur, id demum in *Falcidiam* imputari: Contraria sententia magis placet, ut non totum legatum in *Falcidiam* imputetur, sed duntaxat legati pars, quae iure haeredis capitur: altera vero extra *Falcidiam* sit. Itaque locus in *l. in quartam*. necessario emendandus est, & ubi hodie legitur, sed in *fideicommissaria*, scribendum videtur, sed *Et in fideicommissaria*. Quod mendum lubricum fuit & passim occurrit.

[2.] Porro autem inter legatum, & praelegatum differentiae complures sunt; Legatum genus est, praelegatum species. Praelegamus haeredibus duntaxat, legamus etiam iis, qui haeredes instituti non sunt. Praelegati illa verba sunt, **HAERES MEVS PRAECIPITO, PRAECIPVVM HABETO.** Legati illa, **DO LEGO**

**HABETO.** Legati quod relictum haeredi est, in haereditatis venit restitutionem *l. in fideicommissariam* 18. *ad Trebel.* praelegati portio nulla restituitur, cum id praecipuum haeres habeat. Quo fit, ut *retentio* a **PAPINIANO** appelletur *l. in fideicommissi* 3. §. *cum Pollidius* 3. *de usuris.* nam neque ex eo quod iubemur retinere, ulla pars restituitur. Quid enim magis contrarium restitutioni, quam *retentio*? eadem perceptionis & deductionis, quae retentionis natura est. Postremo pecuniae uni ex haeredibus praelegatae pars a cohaerede accipitur *l. haeredes* 25. §. *ult. iuncta l. seq. fam. ercis.* legata vero pecunia tota a cohaerede capitur. Haereditarii corporis alia ratio est, quod siue legetur, siue praelegetur haeredi, semper eius pars a cohaerede accipi intelligitur. Illud autem legato cum praelegato commune est, ut utriusque haereditaria portio in *Falcidiam* imputetur, & quidem tota: nisi cum ex voluntate, & sententia testatoris *Falcidia* retinetur: tum enim non portionem totam haereditariam, sed quartam eius partem haeredi in *Falcidiam* imputamus *l. Titia* 86. *ad l. Falcid.*

[3.] Et quoniam in lege hac **DIVI PII** mentio fit, illud animadvertendum est, eundem **HADRIANVM** appellari in *l. deducta* 58. §. *numis* 3. *ad Trebel.* eorundem nominum confusionem notavimus in *l. si de vi* 37. *de iudiciis* & in *l. qui coetu* 5. *ad l. Iul. de vi publ.*

Ad §. Nihil commune 1. *l. Naturaliter* 12. *De acq. possess.*

## S V M M A R I V M.

Per interdictum unde vi & per rei vindicationem possessio recuperatur.

**R**ESTITVITVR possessio aut interdicto, aut actione. Nam & per *interdictum unde vi* amissam recupero possessionem, & per rei vindicationem: de hac enim actione loqui mihi videtur **VLPIANVS** in *l. 1. §. restituendae* 4. *uti possidetis.* **PAPINIANVS** in *l. cum fundum* 18. *de vi, Et vi armata.* Eum, qui fundum vindicavit ab eo cum quo *interdicto unde vi* potuit experiri, pendente iudicio, nihilominus interdicto recte experiri placuit. Facilior sane, & expeditior interdicti via est, in quo de iure domini non quaeritur, quod rem vindicanti probandum est. Ei autem qui possidet, non civiliter modo, verum & naturaliter, hoc est, ei qui animo, &

corpore possidet (de quo intelligendum illud **VLPIANI** est in *l. 1. uti possidetis.* *Actionem nunquam ultro possessori dari*) ei inquam vel exceptio sufficit, vel *interdictum uti possidetis*, ad retinendam, tuendamque possessionem. Quod si civiliter tantum possides, res autem, exempli causa, penes eum sit, cui eam tu precario concessisti, & *interdicto uti possidetis*, vinctes, & rem poteris vindicare: recte enim ab eo res vindicatur, qui restituendi habet facultatem. *l. officium* 9. *de rei vind.* Neque si rem coeperis vindicare, propterea tibi denegabitur interdictum: cum possessioni non videaris renuntiasse, quam per rei vindicationem recuperare contendas.

F I N I S

Operum Iuridicorum.



... quod ... in ...

... in ...

... quod ... in ...

... in ...

A N I M A D V E R S I O N V M L I B E R I

... quod ... in ...

... quod ... in ...

A N I M A D V E R S I O N V M L I B E R I

... quod ... in ...